De

epitaphiis

Graecorum veterum.

Dissertatio inauguralis,

quam

ad summos honores

ab amplissimo

philosophorum ordine Erlangensi

rite adipiscendos

scripsit

Fridericus Schinnerer.

Erlangae,
Typis E. Th. Jacobi.
MDCCCLXXXVI.

De epitaphiis Graecorum veterum.

Dissertatio inauguralis,

quam

ad summos honores

ab amplissimo

philosophorum ordine Erlangensi

rite adipiscendos

scripsit

Fridericus Schinnerer.

Erlangae,

Typis E. Th. Jacobi.

MDCCCLXXXVI.

Epitaphius est oratio *ἐπὶ τῷ τάφῳ*, id est in sepulcro habita, unde nomen duxit.[1]) Est autem in numero orationum demonstrativarum. Quae cum aut laudativae aut vituperativae sint[2]), epitaphius est in genere laudativo[3]); nam haec oratio versatur in laude mortuorum.

Consuetudo defunctos laudandi non minus antiqua est quam mos exsequiarum. Hominibus enim studium quasi insitum est mortuos colendi, gratias meritas iis referendi, memoriam eorum servandi, sibi denique ipsis e redintegratione praeteritae felicitatis solatii aliquid petendi. Itaque Athenienses iam Cecropis temporibus ritum mortuos non solum humandi, sed etiam laudandi habuisse dicuntur[4]). At antiquissima illa aetate mortuorum virtutes nondum in ipsis sepulcris praedicabantur, sed inter epulas, quae funera sequebantur;[5]) epitaphii igitur Laudationes proprie nominari non possunt.

---

1) Vid. Menand. *Περὶ ἐπιδεικτικῶν* C. XII. §. 1. (Der Rhetor Menandros u. seine Schriften. Von Conr. Bursian. München 1882).

2) Menand. *Διαίρεσις τῶν ἐπιδεικτικῶν* I. 1 (p. 30 Burs.).

3) Dionys. Hal. (Dionysii Halicarnassensis opera omnia graece et latine ed. Jo. Jac. Reiske. Lips. 1775) Ars rhet. vol. V. pag. 260 c. VI: *Συνελόντι μὲν οὖν ἐπιτάφιος ἔπαινός ἐστι τῶν κατοιχομένων.* — Theo progymn. (Rhett. Gr. ed. Walz vol. I p. 226): *τὸ μὲν (ἐγκώμιον) εἰς τοὺς ζῶντας ἰδίως νῦν ἐγκώμιον καλεῖται· τὸ δὲ εἰς τεθνεῶτας ἐπιτάφιος λέγεται.* Cf. Dion. H. Ars rh. vol. V. c. VIII p. 297 vs. 8 sq. de epitaphio Thucydidis.

4) Cic. De legg. II. 25, 63.

5) Cic. ll. (ed. Klotz).

Ad monumenta orationes funebres tum primum habitae esse videntur, cum Athenienses lege[1]) constituissent, ut de militum in bellis occisorum laude publice diceretur. Simul ab eodem populo Laudationes privatae vetitae sunt.[2])

Cap. I.

§. 1.

Institutum epitaphiorum publicorum ceteris praemiis, quibus cives pro patria mortui iam antea affecti erant, additum est. Etenim iam Solo lege constituerat, ut tales cives honore afficerentur et filii eorum publice alerentur et educarentur[3]). Inter hos honores is primum locum obtinuisse videtur, ut milites caesi in communi sepulcro publice sepelirentur. Mox cum eiusmodi funeribus ceremoniae quaedam, quas describit Thucydides,[4]) coniunctae sunt, quarum rerum cura archonti polemarcho tradebatur[5]). Habebantur autem orationes funebres in Ceramico, ubi commune sepulcretum erat.[6])

Quod attinet ad consilium epitaphiorum publicorum, non ideo solum habebantur, ut mortui aut more usitato deplorarentur, si res infeliciter gestae essent, aut honorem ac-

---

1) De hac lege vid. Plato Menex. c. V. p. 236. (Platonis opera omnia rec. Godofr. Stallbaum vol. IV.) et Himerii orat. II. §. 1 p. 368 (ed. G. Wernsdorf. Göttingae 1790).

2) Cic. de legg. II. 26, 65.

3) Diog. L. De Solone I c. VII §. 55: *ἀλλ' ἄμεινον ἐκείνων τῶν ἐν πολέμοις τελευτησάντων, ὧν καὶ τοὺς υἱοὺς δημοσίᾳ δεῖν τρέφεσθαι καὶ παιδεύεσθαι.*

4) II. 34.

5) Veterum huius rei testimonia vid. ap. Wernsdorfium ad Himerii orationem II. polemarchicam §. 1 p. 368.

6) Primi teste Pausania I, 29, 6 ii Athenienses ibi sepulti sunt, qui a. 491 a. Chr. n. in pugna contra Aeginetas facta ceciderant; C. Fr. Weber (Ueber Perikles Standrede im Thucydides. Allg. Schulzeitung 1827. Abth. II. Nr. 74ff. S. 585ff.) S. 588.

ciperent, si bene et feliciter[1]), superstites vero solatium acciperent, sed hoc instituto etiam id maxime agebatur, ut largis virtutis praemiis patriae amor excitaretur et aleretur atque fortitudo ad pericula bellorum subeunda in animis gigneretur[2]). Eodem, quo Laudationes, cetera quoque praemia spectabant. Sed orationibus additis Athenienses id, quod volebant, melius consequebantur. Nam orationes ad mortuorum honorem et superstitum virtutem plus potuisse quam ceremonias, quibus neque illorum virtus illustraretur neque horum animi erigerentur, apparet[3]). Itaque ii, qui milites occisos laudabant, legem de epitaphiis habendis latam probare solebant[4]), quamquam non deerant, qui de hoc instituto aliter iudicarent.[5])

Quis legis, quam latam esse constat, fuerit auctor, nescimus. Nam in oratione funebri apud Thucydidem II., 35, ubi auctor instituti reprehenditur, nomen eius reticetur; ii autem, qui certos quosdam ut auctores nominant, adeo non inter se consentiunt, ut alii aliis legem tribuant.[6]) Neque Pericles apud Thucydidem nomen viri de industria reticuisse[7]) videtur, sed ideo, quod minus auctorem rei, quam rem ipsam memorare voluit.[8])

Epitaphii inde quotannis habebantur.[9])

---

1) Cf de consilio epitaphii publici Dionysium H. De Thucydide historico iud. c. XVIII (vol. VI p. 849). Cf. Diod. Sic. XI. 33.

2) Vid. Himerium or. II. §. 1 p. 370. Cf. etiam Dion. H. Ars rh. c. VIII p. 297 (IX); nam quod ibi de consilio orationis Pericleae dicitur, hoc pertinet ad ceteros quoque epitaphios publicos.

3) Cf. Himer. or. II p 370. Ps-Demosth. epit. §. 2.

4) Vid. Pericles ap. Thucydidem II. 35.

5) Vid. Thucydides ll.

6) Vid. Weber S. 590; Ant. Westermannus in comm. de publicis Atheniensium honoribus ac praemiis. Lips. 1830 p. 58 sqq.; Westermann Gesch. der Beredts. u. s. w. 1. Th. S. 35 et Quaestt Demosth. part. II. c. II. p. 24.

7) Quod iudicat Weber S. 590.

8) J. Classen ad Thuc. II. 35.

9) Menand. Περὶ ἐπιδεικτ. C. XII. §. 1 (Brs.). Cf. Cic. Orat. 44, 151 de Menexeno Platonis. —

Munus mortuos laudandi primo ab Atheniensibus oratori mandatum est publice ad hoc electo,[1]) postea — quo anno factum sit, non traditur — id quoque officium archonti polemarcho delatum est.[2]) Aliquamdiu res ita mutata est, non ut quotannis novae orationes componerentur, sed ut epitaphius a Platone in Menexeno propositus, quippe qui Atheniensibus vehementer probatus esset, singulis annis recitaretur.[3])

Alia lex in Polemonis sophistae 'laudationibus funebribus in Cynaegirum et Callimachum' memorata, qua sancitum esse, ut pater eius, qui in bello omnium gloriosissime mortuus esset, orationem funebrem diceret, ab auctore libri ficta esse videtur.[4])

Munus mortuos publice collaudandi ei, qui ad hoc electus erat, magno erat honori, nam hac re civis prudens et orator optimus iudicatus magnam laudem apud populares assequebatur, si officium mandatum bene expleverat. Id autem minime erat facile. Primum enim mors pro patria oppetita iam a poëtis saepissime celebrata erat, argumentum igitur erat tritum; deinde de vita et rebus gestis singulorum saepe perpauca dici poterant et, etiamsi singuli erant, qui laude digna in bello patraverant, ii non e numero mortuorum, ut laudarentur, eligi poterant, nam hac re propinqui civium non laudatorum exacerbati essent, praesertim cum constitutum esset, ut omnes, qui in bello cecidissent, laude afficerentur.[5]) Aliam difficultatem rei memorat Pericles apud Thucyd. II. 35. Ostendit enim difficile esse rei accommodate dicere, quod orator, utcunque laudem proferat, a veritate recedere videatur. Alii

---

1) Cic. De legg. II. 26.

2) Menand. Περὶ ἐπιδεικτ. C. XII. §. 1.

3) Cic. Orat. 44, 151.

4) Vid Orelli annotationem ad hunc libellum p. 6 factam. (Polemonis Laodicensis sophistae Laudationes II. fun. ed. J. C. Orellius. Lips. 1819).

5) Hyperides in epitaphio VI. (VII) vs. 14 sqq. (ed. Fr. Blass. Lips. 1881) cavet ne unum Leosthenem laudet, ceterorum laudem silentio praetermittat.

enim, inquit, quippe qui rerum a civibus sepultis gestarum periti et earum benevoli aestimatores sint, parum fortasse mortuos laudari existumant, alii vero, quod rerum imperiti sunt iidemque laudem facinorum vires suas excedentium propter invidiam[1]) non ferunt, ficta, non vera tanta laude efferri putant.

Praeter epitaphios in funeribus habendos mox etiam alii, qui non ad dicendum, sed ad legendum apti erant, componi coepti sunt, atque tales orationes ne tum quidem, cum mos epitaphiorum publicorum interiit, confici desitae sunt.

Finis autem epitaphiorum in usu vitae eodem fuit tempore, quo finis libertatis Graecorum. Tale enim institutum populare in nulla re publica locum habet, nisi in libera, ubi omnes cives pari iure utuntur. Accedit, quod defensio patriae a civibus transiit ad milites mercede conductos, qui neque vivi laude maiorum ad fortitudinem excitari poterant, neque caesi publica Laudatione digni iudicabantur. Tum igitur publici epitaphii e vitae usu in scholarum rhetoricarum parietes migrare coeperunt, ubi clarae illae veterum Graecorum res gestae materiam exercitationum in hoc genere dicendi praebebant. Hae imitationes epitaphiorum omnes oratione soluta conscriptae erant; carmina ad exemplum earundem orationum composita nulla novimus.

Postquam orationes publicae haberi desierunt, Laudationes funebres singulorum, quae apud ceteros Graecos iam diu in usu fuerant, apud Athenienses quoque in usum venire coeperunt. Etiam hae orationes ad exemplum publicarum compositae *ἐπιτάφιοι* nominabantur[2]) et habebantur de hominibus dilectis a propinquis vel amicis. Epitaphii id genus vere habiti omnes perierunt; nam qui ad nos permanserunt, ii ab auctoribus conscripti sunt, non ut haberentur, sed ut legerentur. Quorum alii in usum vitae, ut mortuis quibus-

---

1) De invidia omnes fere epitaphiorum auctores verba faciunt: Gorgias fr. 2 ed. Saupp. (Oratt. Att. T. II.). Ps-Lys. §. 2, alii. —
2) Dion. H. Ars rh. c. VI p. 259: *ὄνομά γε μὴν ἀμφοῖν* (sc. *ἐπιταφίων*) *ἓν καὶ τὸ αὐτὸ, ἐπιτάφιος οὕτως ὀνομαζόμενος.*

dam honos tribueretur et memoria eorum redintegraretur, sunt compositi, alii sunt declamationes exercitationis aut ostentationis causa a sophistis compositae. Scripti autem sunt epitaphii privati non solum a scriptoribus solutae orationis, sed etiam a poëtis et epicis et lyricis, qui officium mortuos deplorandi in epitaphiis, monodiis, epicediis, lamentationibus (*θρήνοις*), elegiis susceperunt.

§. 2.

Ex iis, quae exposuimus, patet varia **genera** epitaphiorum extitisse. Laudationes et publicas et privatas[1]) aut ad dicendum aut ad legendum compositas esse supra vidimus. Tempus autem si respicias, epitaphiorum publicorum alii intra bellum, alii post bellum perorati sunt. Simul non solum ii, qui eodem anno ceciderant, sed etiam alii, qui multis annis ante caesi erant, laudabantur; aliae autem sunt orationes, quibus homines modo defuncti, aliae, quibus cives nonnullis mensibus ante, aliae denique, quibus multo ante mortui laudantur.[2]) Orationes id genus privatae, quae vere pronuntiatae sunt, haud scio an non omnes de iis habitae sint, qui paulo ante sunt defuncti, in scriptis vero item ut in vere habitis epitaphii in laudem hominum modo mortuorum compositi discernendi sunt a ceteris, quibus homines aut multo aut non ita multo ante sepulti laudantur. Porro scriptarum orationum si consideres consilium, aliae, sive publicae sive privatae, sunt in usum vitae scriptae, ut mortui quidam colerentur et superstites dolore oppressi erigerentur, aliae aut a sophistis, quippe qui in hoc genere dicendi sollertiam suam ostentare vellent, confectae aut e scholasticis exercitationibus ortae. In Laudationibus singu-

---

1) A publicis orationibus privatas etiam Dion. H. Ars rh. c. VI p. 258 vs. 10 sqq. et p. 259 vs. 1–5 discernit. Menander *Περὶ ἐπιδεικτ.* c. XII hoc discrimen neglegit.

2) Cf. Menand. *Περὶ ἐπιδ.* c. XII. §. 2—4, quo loco (§§. 4—5) etiam docetur epitaphium de hominibus modo mortuis habitum a Graecis *λόγον παθητικόν* nominatum esse.

lorum hoc quoque reputandum est, qua quis aetate e vita decesserit, nam epitaphii qui in honorem hominum praemature mortuorum habentur, differunt ab iis, qui in laudem aetate provectiorum conficiuntur. Atque ne hoc quidem neglegendum est, a quo oratio habeatur aut habita fingatur; etenim aliter dicunt propinqui, aliter non propinqui.[1]) Neque pares erant orationes, quae in laude regum versabantur,[2]) iis, quibus homines minus illustres ornabantur; nam in his tanta adulatio, quanta in illis cognoscitur, non est. Denique si non argumentum, sed dictionis formam spectes, orationes scriptorum prosae distinguendae sunt a carminibus.

§. 3.

Forma epitaphii eosdem gradus, quos universa Graecorum eloquentia, percurrit. Illa enim ita progressa est, ut ante Periclem, quippe quibus temporibus ars dicendi in incunabulis esset, non tam orationi, quam sententiis opera daretur.[3]) Pericles autem ipse eloquentiam forensem ad perfectionem perduxit, nam sententiarum copiae et praestantiae addidit orationis elegantiam artemque[4]). Denique oratores post Periclem florentes sententiarum plerumque incuriosi dictionis maxime artem et ornatum secuti sunt.[5]) Eodem modo forma epitaphii exculta est.

Ut iam nonnulla de dictione ipsa addam, quae praecepta a rhetoribus de omnibus orationibus demonstrativis dantur, eadem pertinent ad epitaphium. Rhetores autem elocutionem in talibus orationibus semper aequabilem non probant, laudant varietatem et dictionem ita mixtam, ut modo brevis, modo dilatata, semper perspicua sit.[6]) Eandem va-

---

1) Cf. Menand. *Περὶ ἐπιδεικτ.* C. XII. §. 4.

2) De his orationibus a Graecis *λόγοι προσφωνητικοί* dictis vid. Menand. ll. c. I §. 1.

3) Cic. Brut. VII. 27.

4) Cf. Cic. Brut. XI. 44.

5) Qua de re infra plura.

6) Dion. H. Ars rh. c. V. p. 257 (VII).

rietatem in epitaphiis esse oportet: concinna einim dictio in iis esse debet, quae contentionis aliquid habent, dilatata vero, magnifica propiusque ad Platonis sermonem accedens in iis, quae sunt illustria et magnifica, qualis est locus de anima.[1]) Materiae igitur dictio accommodanda est. Praeterea aliud est genus dicendi earum orationum, quae vere habitae, id est compositae sunt, ut audirentur, aliud earum, quae conscriptae sunt, ut legerentur. In illis enim orationibus, quod vox viva per aures volat, orator, ut intellegatur, verbis simplicibus et communibus utatur oportet; idem in verbis eligendis curiosus non esse debet, dummodo efficacia sint.[2]) Scriptarum vero orationum auctori ornata et verborum tralaticiorum plena elocutione uti licet[3]) quod legentibus tempus est res deliberandi; sed eadem de causa dictionem diligentem esse opus est, quoniam vitia facilius deprehenduntur. Tale dicendi vitium est nimius verborum ornatus.

§. 4.

Si **compositionem** spectamus, epitaphius ad orationis formam, quemadmodum omnes orationes, tres habet partes: Prooemium, Enarrationem, Epilogum; sin autem argumentum respicis, idem habet tria capita: Laudationem, Lamentationem, Allocutionem.[4]) De his singulis partibus iam nobis agendum est.

P r o o e m i i consilium id est, ut audientes oratori benevoli et ad orationem futuram dociles fiant. Itaque oratores a lege de epitaphiis lata ordientes primum de difficultatibus, quas munus sibi delatum haberet, verba facere solebant; deinde in Propositione (προθέσει) eas res, de quibus dicturi erant, adumbrabant, ut audientes ordinem sententiarum perspicerent et ita orationem melius intellegerent. Eadem de

---

1) ll. c. VI p. 267.

2) Cf. Isocr. Euag. §. 8—11.

3) Cf. ll.

4) Vid. de capitibus epitaphii Dionys H. Ars rh. c. VIII p. 297 vs. 13.

causa Propositiones in orationibus longioribus repetere solebant, ne audientes argumenta orationis confunderent. Eodem spectabant dictorum breves collectiones et rerum repetitiones.

Prooemium sequuntur tria capita, inter quae primum locum obtinet **Laudatio**. Huius consilium idem est, quod totius epitaphii.[1]) Dionysius H.[2]) universe hos locos laudandos enumerat: patriam, genus, qualitatem,[3]) educationem, res gestas. His Menander,[4]) qui locos et ipse enumerat, eruditionem et studia addit.

Sed hae res aliter tractantur in publica, aliter in privata oratione; nam de aliis locis illic, de aliis hic copiosius agitur. Patriae enim laus, quae in publica oratione dominatur, in privata vel prorsus omittitur vel paucis absolvitur.[5]) Idem cadit in laudem generis; nam in publica oratione multa verba de maioribus fiunt, in privata pauca. Qualitas autem, imprimis corporis dotes, et educatio in hoc epitaphio minus respiciuntur, quam in illo. Denique ii, qui publice munere laudandi funguntur, multis verbis dicunt de rebus gestis mortuorum, qui autem privatim dicunt, ii pluribus versantur in studiis, nisi forte is, qui laudatur, rex vel vir ad laudem bellicam insignis est. P a t r i a laudibus effertur, ut civium pietas erga eam augeatur. Itaque copiose praedicatur eius magnitudo, celebritas, antiquitas. Sin autem parva est, eam virtute et gloria incolarum et ipsam celebrem esse factam[6]) ostenditur. Si ne id quidem laudari potest, a deo aliquo aut condita aut amata esse dicitur.[7]) De g e n e r e mortuorum audientes certiores fiunt, ut cognoscatur, quibus nati et quorum exem-

---

1) Vid. pag. 4sq. huius scripti.

2) Ars rh. c. VI p. 260 vs. 5sq.

3) Brevitatis causa liceat hoc vocabulo uti pro Graeco termino „φύσις.“

4) *Περὶ ἐπιδ.* c. XI. §. 1.

5) Dionys. H. Ars rh. c. VI p. 261 vs. 2sq.

6) Velut Isocrat. in Euag. §. 14 sq. de Aegina et §. 17 de Salamine.

7) Dion. H. Ars rh. c. VI p. 260 (II).

plo excitati illi tales exstiterint, quales se praebuerint.[1]) Qua in parte orationis publicae Athenienses non advenas esse, sed indigenas praedicatur. Praeterea saepe demonstratur maiores mortuorum cum Graecos esse, quippe qui barbaris omnibus rebus praestent, tum Jones, qui inter Graecos sapientia alisque virtutibus floreant.[2]) Si privatim genus celebrandum est, de nobilitate eius verba fiunt. Clari, inquit orator, erant auctores generis, clariores cum ceteri eius maiores tum pater publice privatim, dictis factis; clarissimus erat mortuus ipse.[3]) Sin nobilitas generi deest, plura de virtutibus maiorum exponuntur.[4]) Sequitur laus *qualitatis*;[5]) quaeritur enim de dotibus corporis et animi. Corporis memoratur imprimis forma. Hic locus copiosissimus est in privatis Laudationibus praemature defunctorum; hic enim saepe etiam singularum partium corporis pulchritudo describendo effingitur.[6]) Animus maxime propter mentis aciem et morum praestantiam laudatur. *Educationem* autem et *eruditionem* laudans orator publice de statu civitatis, utrum ea optimatium an populi arbitrio regatur et quibus aliis bonis institutis utatur disserit; privatim vero docet, quam praeclara animi indole iam puer, cum educaretur, magistris admirationi fuerit et quam laetos postea in artibus liberalibus eruditus progressus fecerit.[7]) In loco, qui est de *studiis*, si agitur de singulis hominibus, beneficia eorum erga ceteros sive propinquos sive amicos sive cives eorundemque virtutes in omnibus condicionibus vitae, iustitia, humanitas,

---

1) De hoc consilio loci qui de genere est vid. Isocr. Euag. §. 12.

2) Cf. Dion. H. Ars rh. c. VI p. 261 (II) vs. 4 sqq.

3) Cf. Dionys. ll. vs. 8 sqq. — Menand. De epitaphio (*Περὶ ἐπιδ.* c. XII.) §. 5.

4) Cf. Dio Chrys. epitaph. in Melancomam (or. XXIX) vs. 27 sqq. (ed. Dindorf. Lips. 1857).

5) Cf. Dionys. ll. vs 11 sq.

6) Menand. De monodia (*Περὶ ἐπιδ.* c. X) §. 10.

7) Cf. Menand. De epitaphio (*Περὶ ἐπιδ.* c. XII.) §. 8; Dionys. ll. Cap. VI pag. 262 vs. 2 sq.

affabilitas, comitas[1]) illustrantur. In publico epitaphio laus studiorum coniungitur cum laude rerum gestarum. Res gestae autem laudantur, ut in superstitibus studium talem virtutem imitandi excitetur et alatur.[2]) Hic est maximus[3]) locus Laudationis, praecipue publicae, quae est de facinoribus bellicis et de morte in pugna pro patria fortiter oppetita.[4]) In privata oratione studia (ἐπιτηδεύματα) et res gestae non accurate disiunguntur, unde fit, ut eadem res ab aliis inter studia, ab aliis inter res gestas memoretur.[5] Monstratur autem primum, quas virtutes mortuus publice adversus omnes exhibuerit; deinde qualem in quemque privatim se praestiterit: qualem erga amicos, inimicos, parentes, qualem denique adversus inferiores in negotiis gerendis.[6]) Neque silentio praetermittitur, quanta felicitas in omnibus rebus ei affuerit. Ostenditur enim, siquidem id de eo dici potest, praeter magnas opes ei praeclaros liberos, fidos amicos, honorem denique apud reges et cives urbium fuisse.[7])

Postquam adumbravimus, quae res in mortuis laudentur, nobis explicandum est, quo modo hae laudes ab oratoribus proferantur. Ars Laudationis mortuorum in universum eadem est, quae vivorum.[8]) Oratores autem id maxime sequuntur, ut virtutes eorum, quos laudant, vel res ab iis bene gestas in maius augeant et multis verbis illustrent, vitia et res male gestas vel in meliorem partem accipiant vel decoris

---

1) Cf. Menand. De epitaph. §. 8 De laude beneficiorum erga patriam, si mortuus fuerat magistratus; cf. eundem de monodia §. 3.

2) Cf. Dionys. Ars rh. c. VIII §. 9 p. 298 vs. 9sq.

3) Menand. De epitaph. §. 9.

4) Dionys. De or. fun. (Ars rh. c. VI.) p. 262.

5) Si Dionys. De oratione fun. (ll.) p. 262 et Menand. De epitaph. §. 8 conferuntur, v. g. locus qui de iustitia est, apud Dionys. ll. vs. 8, ubi de rebus gestis agitur, apud Menandrum vero inter studia (ἐπιτηδεύματα) memoratus invenitur; ille enim intellegit iustas res, hic iustitiae studium.

6) Cf. Dionys. ll

7) Menand. De epitaphio §. 9.

8) Theo progymn. c. 8 p. 227 vol. I. (W.)

verbis absolvant vel paucis attingant vel denique prorsus omittant.[1]) Hoc iis licet, quoad veritas rerum ab iis non nimis neglegitur; nam si hoc est, orator audientibus dicendo non prodest, sed blandiendo virtuti eorum et patriae nocet. Hac in re peccabant illi oratores, qui in epitaphiis publicis Atheniensium virtutes et res gestas plus aequo praedicabant, vitia vero non solum non reprehendebant, sed etiam in laudem vertebant. Varietatis gratia modo recta modo obliqua Laudatio adhibetur, id est, quae ante aperte dicta sunt, ea circuitione quadam iterum proferuntur. Qua de causa oratores haud raro viros claros eandem sententiam, quam ipsi habent, aperientes inducunt. Eodem spectat frequens usus Comparationis, quod praecipuum genus Laudationis obliquae est. Itaque Dionysius[2]): *πάλιν οὖν*, inquit, *κεφάλαιόν ἐστιν ἐν τοῖς ἐγκωμίοις ἡ παραβολή.* Comparantur autem res similes, non contrariae.[3]) Mortui igitur non cum iis conferuntur, qui laude virtutis vel rerum gestarum carent, sed ipsi praeclari comparantur cum praeclaris, singuli cum singulis, populi cum populis, reges cum regibus, duces cum ducibus, milites cum militibus. Saepe etiam non certi quidam homines comparandi causa nominantur, sed universe dicitur: „alii“[4]) hac laude carent, „paucis“ talia contigerunt, „nemo“ tantum facinus perfecit, hi „soli“[5]) tantis virtutibus ornati sunt; idem sibi volunt vocabula eiusmodi: „insignes“ sunt, „florent,“ „praestant,“ alia. Sin autem certi quidam homines cum iis, qui laudandi sunt, comparantur, duplici modo fieri potest; etenim aut

---

1) Theo prog. c. 4 (vol. I p. 184) *ἔτι δὲ τὰ μὲν λυπήσοντα τοὺς ἀκουσομένους συντομώτατα διηγητέον . . . Τοῖς δὲ εὐφραίνουσιν ἐνδιατριπτέον.*

2) Ars rh. c. VIII §. 9 p. 298 vs. 12. — Cf. Menand. De epitaph. §. 10. Theo prog. c. 8 p. 228.

3) Theo prog. c. 9 vol. I p. 232.

4) Velut Pericles ap. Thuc. c. 37 init.: non ut aliae civitates imitamur leges aliarum civitatum.

5) Theo prog. c. 9 p. 232 docet, cur hac ratione laudis utantur oratores: *τὰ γὰρ κοινά*, inquit, *καὶ δημώδη οὐ πάνυ ἐπαινετά.*

summa virtutum vel rerum gestarum, aut singulae res conferuntur.[1]) Illud si fit, orator sic fere dicit: „Magni illi, maiores hi sunt"; vel: „ille in rebus secundis tantum magnus erat, hic etiam in adversis."[2]) Singulae vero res gestae ita comparantur, ut demonstretur ea, quae ab aliis praeclare facta sint, aut fuisse faciliora aut non eandem animi magnitudinem indicare; itaque oratores talibus verbis utuntur: ille cum multis, hic vero solus; ille posterius, hic prius;[3]) ille sine labore, hic cum labore,[4]) ille invitus, hic sua sponte,[5]) ille fortuito vel dolo, hic virtute[6]) opus perfecit. Sic semper ea, quae in claris facinoribus aliorum minus laudabilia sunt, illustrantur, ut mortuis eo plus laudis inde redundet. Si comparandi causa adversarii afferuntur, horum vitia omnia investigantur, quo laudatorum hominum virtutes magis appareant.[7]) Praeter virtutes et res gestas interdum etiam maiores mortuorum cum maioribus hominum clarorum vel heroum conferuntur, ut inde eluceat, qua generis nobilitate illi fuerint. Id si est, aut praeclarissimi e maioribus utrorumque

---

1) Menand. *Περὶ ἐπιδ.* c. I §. 11: *ἄλλο γάρ ἐστι τὸ συγκρίνειν ἀθρόως καὶ ἄλλο τὸ μερικῶς.*

2) Theo prog. c. 8 p. 230: *λεκτέον, ὅτι ἀτυχῶν ταπεινὸς οὐκ ἦν.* Cf. Isocr. Euag. §. 27.

3) Theo prog. c. 8 p. 228: *ἐπαινεταὶ δέ εἰσιν αἱ πράξεις . . ., εἰ μόνος ἔπραξέ τις ἢ πρῶτος.* Cf. Isocr. Euag. §. 32: *καὶ μόνος πρὸς πολλοὺς καὶ μετ' ὀλίγων πρὸς ἅπαντας τοὺς ἐχθρούς.* Plato Menex. c. VII pag. 237 E et 238: *μόνη γὰρ ἐν τῷ τότε καὶ πρώτη τροφὴν ἀνθρωπείαν ἤνεγκε. . .*

4) Theo prog. c. 9 p. 232: *καὶ ἃς* (*πράξεις*) *μετὰ πόνου ἐπράξαμεν μᾶλλον ἢ ῥᾳδίως* (sc. *προκρίνομεν*). Cf. Thuc. II. 36 „*οὐκ ἀπόνως*" . .

5) Theo ll. vs. 15 sqq. *καὶ τὰς ἐκ προαιρέσεως μᾶλλον τῶν δι' ἀνάγκην ἢ τύχην.* (Cf. argumenta Cynaegiri in Polemonis laudationibus funebr.)

6) Cf. Isocr. Euag. §. 36 (*διὰ τύχην - μετὰ δόλου καὶ τύχης*). — Thuc. II. 39: *πιστεύοντες ἀπάταις.*

7) Quod fit a Pericle in epitaphio Athenienses cum Lacedaemoniis comparante.

comparationis causa eliguntur aut demonstratur genus eorum, qui laudantur, maiorem numerum virorum magnorum habere.[1]) Sed haec hactenus.

Transimus ad **Lamentationem**.

Cur hoc caput in epitaphio locum habeat, explicat Dionysius,[2]) cum dicit: *Πειρᾶσθαι δ' ἐν τῷ παραμυθεῖσθαι καὶ ἐνδιδόναι τοῦ πάθους τοῖς ὑπολειπομένοις, καὶ μὴ ἀντιτείνειν εὐθύς· ῥᾷον γὰρ ἐπαξόμεθα. ἅμα δὲ καὶ ἔπαινον ἕξει ὁ λόγος, εἰ λέγοιμεν, ὅτι οὐ ῥᾴδιον ἐπὶ τοῖς τοιούτοις ῥᾷον φέρειν.* Quoniam enim dolor de morte hominum dilectorum in natura humana positus est, minuitur autem, si effunditur et cum aliis communicatur, Lamentatio iure inter epitaphii capita recepta est; hoc enim modo non solum mortui honorem habent, sed etiam lacrimae lugentium eliciuntur et misericordia audientium movetur.[3])

Lamentatio aut mera est aut Laudatione mixta. Illud si est, dii et Fortuna iniquitatis incusantur, quod hunc potissimum abripuerint, alios vero et eos ad moriendum aptiores servaverint. Iidem saevitiae quoque arguuntur, quod defunctum vitae bonis, propinquos optimo propinquo, civitatem denique praeclarissimo cive privaverint. Plerumque autem Lamentationi admiscetur Laudatio, ut illa ex hac materiam querelarum sumat.[4]) Singulae enim mortui virtutes et res gestae enumerantur, quibus singulis Lamentatio accedit.[5]) In extrema huius capitis parte laudes comprehenduntur et summa omnium deploratur.[6]

Tractatio capitis pendet a genere epitaphii. Nam in

---

1) Theo prog. c. 9 (vol. I) p. 234: *δεύτερος δὲ τρόπος ἐστὶν, ὅταν μὴ μίαν ἢ δύο τῶν ἐξοχωτάτων τοῖς ἐξοχωτάτοις παραβάλλωμεν, ἀλλ' ἐκεῖνο τὸ γένος προκρίνωμεν, ἐν ᾧ πλείους εἰσὶν οἱ εὐδόκιμοι.* — Cf. Isocr. Euag. §. 13.

2) De orat. fun. IV. p. 263 vs. 17 et p. 264 vs. 1 sqq.

3) Cf. Menand. De epitaph. §. 11.

4) Menand. De epitaphio §. 7: *Ὕλη σοι γινέσθω τὰ ἐγκώμια τῶν θρήνων.*

5) Menand. ll. §. 9.

6) Menand. ll. §. 11.

aliis orationibus Lamentatio magis, in aliis minus copiosa est, nonnullis prorsus deest. Publicus epitaphius in deploratione mortuorum minus versatur, quam privatus, praesertim si oratio bello nondum composito habetur; nam cum orator animos ad fortitudinem excitare velit, non debet Lamentatione eos mollire.[1] Idem iudicat Pericles apud Thucydidem,[2] cum dicit: *Διόπερ καὶ τοὺς τῶνδε νῦν τοκέας, ὅσοι πάρεστε, οὐκ ὀλοφύρομαι μᾶλλον ἢ παραμυθήσομαι.* Quod autem attinet ad privatum epitaphium, quaeritur, quando[3] habeatur. Si multis annis post mortem cuiusdam componitur, Lamentatio non necessaria est, cum propinqui aut et ipsi mortui sint aut dolorem deposuerint; si nonnullis mensibus, parva Lamentatio, quod luctus, etiamsi tempore minutus, nondum est abiectus, non deest orationi, praesertim si orator propinquus defuncti est.[4] Maxime autem hoc caput adhibetur, si propinquus paulo ante decessit, quandoquidem maeror superstitum recens est. Ceterum hac quoque in re differunt epitaphii vere habiti a non vere habitis; in illis enim deploratio minus vehemens et frequens est, quam in his, quia nimia concitatio lugentium abhorret a consilio oratoris et usu vitae. Scripti vero querelis abundare solent, praesertim si praemature defunctus defletur, id quod fit cum in epitaphiis poëtarum lyricorum tum in monodiis a scriptoribus prosae compositis. Imaginem monodiae adumbrat Menander,[5] quem secuturi sumus.

Tractatio monodiae est eadem, quae omnium orationum in homines modo mortuos conscriptarum: A praesentibus rebus incipiens orator primum exponit, cur contio adsit: „Non ut laeta spectaremus et audiremus," inquit, „huc convenimus, sed ad tristem adspectum; sepulturi enim sumus adolescentem." Deinde narrat, quam aetatem agens et quo genere

---

1) Menand. ll. §. 2.

2) II. 44.

3) Menand. De epitaphio §. 4.

4) Menand. ll.

5) *Περὶ ἐπιδεικτ.* c. X.

morbi occubuerit, utrum diu aegrotus fuerit an subito decesserit. Quibus expositis defunctum laudare et deplorare incipit. Merita in propinquos et patriam minus celebrantur, quia adolescens brevitate vitae et infirmitate aetatis impeditus est, quominus beneficia multa in alios conferret. Eo pluribus verbis in monodia et carminibus lugubribus, quibus corporis animique dotibus ornatus fuerit et quantam spem de se propinquis et patriae praebuerit et ipse habuerit, illustratur. Exclamationes, quibus laus mortui et dolor propinquorum una exprimantur, explent totam orationem: „Quantum gaudium, cum nasceretur! Quanta formositas! Quales mores! Quanta spes! Eheu omnia exstincta!“ Sic tempora percurruntur ab oratore. — Monodia, quoniam maerentes multa verba non patiuntur, brevis esse atque, siquidem Menandri verba: *ἡ μονῳδία ἀεὶ ἄνετος* ita intellegenda sunt, remissionem affectus et impetus habere debet.

Sic venimus ad tertium caput epitaphii, ad **Allocutionem**. Haec habet duas partes, quarum una versatur in Adhortatione, altera in Consolatione superstitum. Illa imprimis in epitaphio publico locum habet, ubi eo maxime spectat, ut superstites amore patriae afficiat. Itaque civibus mortuorum exemplum proponitur, quod imitari debeant.[1])

In epitaphio privato oratores alias Adhortationem omittunt, si ii, qui decesserunt, puerili aetate erant; alias pauca adhortandi causa proferunt, superstites enim admonent, ut virtutem defuncti imitentur et memoriam eius colant;[2]) alias denique pluribus in hac parte orationis funebris versantur, si verba faciunt in honorem hominum clarorum et illustrium, velut principum; id enim si est, liberos defunctorum adhortantur, ut virtutes patrum imitentur et eandem gloriam sectentur.[3])

Ut autem orator in Laudatione varietatis studiosus schemata adhibet, ita in Adhortatione ut ea, quae assequi

---

1) Cf. Dionys. De or. fun. c. IV p. 262 sq.

2) Cf. Dio Chrysost. or. XXIX. vs. 21—32.

3) Dionys. ll. p. 263.

vult, vario modo commendet, eadem arte utitur. Velut si civium animos ad fortitudinem excitare studet, modo aperte eos ipsos adhortatur, modo res gestas maiorum et eorum, qui pro patria ceciderunt, praedicat, ut cives per ambages ad imitationem moveat, modo opes eorum cum viribus hostium comparat, ut videant hos non esse timendos, modo patriam laudibus effert, ut cives cognoscant, quantum certaminis praemium sibi propositum sit.[1]) At contra, si audientes ab aliqua re avocare studet, Laudationem de industria omittit. Homines enim reprehensionem rei sentiunt, si exspectatam laudem non accipiunt. Qua arte utitur Gorgias, quippe qui, cum in epitaphio[2]) bellum ab Atheniensibus cum popularibus gestum reprehendere velit, victorias ab iis ex Persis reportatas laudibus extollat, tropaea vero in bellis civilibus constituta nullo verbo attingat.

Ut iam procedam ad alteram partem Allocutionis, Consolationis quoque usus in variis generibus epitaphii varius est. Nam in publica oratione Consolatio minus suo loco est quam in privata, cum illa magis eo spectet, ut fortitudinem excitet, quam lugentes erigat, et simul etiam neque aetas mortuorum neque mortis genus materiam consolandi praebeant, quoniam omnes milites eadem fere aetate eodemque modo occumbere solent. Nihil igitur consolandi causa affertur, nisi mortem pro patria oppetitam esse gloriosissimam et, quod cita esse soleat, non solum sensu doloris, sed etiam tormentis et molestiis morborum carere. Praeterea memoratur pulcherrima praemia virtutis mortuis obtingere, quippe qui publice sepeliantur et sempiternam memoriam apud posteros sibi comparaverint, quae res iure ab omnibus petantur.

Sententia autem de immortali mortuorum beatitudine, quae ad consolandum est aptissima, illis temporibus, quibus epitaphius publicus floruit, nondum in usu vitae ad animos

1) Hac arte utitur Pericles in oratione funebri.

2) Vid. fragm. 1 (Oratores Attici rec. Gg. Baiterus et H. Sauppius, T. II.).

lugentium erigendos vulgo adhibita est. Etenim, licet eruditiores Graecorum iam tum aut e mysteriorum sacris aut e Platonis philosophia doctrinam de immortalitate animi acceperint, vulgus, quod in orationibus publicis maxime respiciendum erat, Homeri commenta de misero statu animarum post mortem etiamtum tenebat. Extremo sane tempore liberae rei publicae philosophiam Platonis ad publicum quoque epitaphium vim habuisse apparet ex oratione funebri Hyperidis. Hic enim orator praeter solamina in epitaphiis publicis usitata, etiam sententiam laudat, qua Socrates apud Platonem in Apologia se ipsum et amicos consolatur demonstrans mortem, sive in ea sensus sit, sive nullus, non malum esse, quod defuncti sensu praediti, si in vita pii fuerint, beatitudine fruantur, sensu vero carentes similes sint nondum natis.

Plura solatia quam in publicis epitaphiis afferuntur in privatis. Sed hic quoque quaeritur, utrum oratio sit de hominibus multo ante mortuis, necne.[1]) Nam illud si est, Consolatio non magis adhiberi debet, quam Lamentatio; quis enim eos erigere studeat, qui luctum deposuerint? Qua de causa ineptum esset, si Isocrates Nicoclem de morte Euagorae ante multos annos defunctum consolaretur. Consolatione igitur utendum est, si dolor propinquorum nondum est abiectus. Aliter autem cum iis agendum est, qui recenti luctu concitati sunt, aliter cum iis, quorum dolor tempore est mitigatus. Illi enim multa solamina non patiuntur, hi vero praeceptis rationis aditum dant.[2]) Itaque in monodiis, quippe quae in homines modo mortuos compositae sint, Consolatio aut prorsus desideratur aut paucis, quae plerumque de beatitudine defunctorum sunt, absovitur. In ceteris vero epitaphiis, qui conditi sunt de iis, qui compluribus mensibus ante mortui

1) Cf. Menand. De epitaphio §. 3 et 4.

2) Seneca in Consolatione ad Marciam VIII. 1 (Haase): licet contumacissimum (dolorem) cotidie insurgentem et contra remedia effervescentem, tamen illum efficacissimum mitigandae ferociae tempus enervat.

sunt, plura solatia afferre licet, nisi quidem orator propinquus defuncti est, quem munere consolandi fungi minus decet.

Unde factum est, ut tempore procedente tot genera solatiorum excogitata sint, quot sunt mortis.[1]) Nam si quis subito obierit, inquit Dionysius ll., consolans laudabit discessum, qui fuerit sine sensu doloris, sin autem post diuturnum morbum, hoc ei felicitati convertet, quod in doloribus patienter ferendis fortitudinem et robur animi monstrare potuerit. — Locus quoque, ubi aliquis defunctus erit, materiam consolationis praebebit. Si enim in bello ceciderit, mors pro patria, si in legatione decesserit, mors pro civium salute suscepta laudibus efferetur; si inter gentes externas exspiraverit, laudabitur Aeschylus, qui unam eandemque viam ad inferos ferre dicat, sin autem in patria, alumnus fortunae nominabitur, quod in carissima terra, ubi natus sit, et inter carissimos liberos animam efflaverit. — De aetate quoque multa ad consolandum idonea dicuntur. Si quis enim senex mortuus erit, eum omnia vitae bona, gaudia matrimonii et honores in re publica percepisse et ad laetam senectutem, quae paucis contingat, pervenisse memorabitur; sin autem media aetate, eius mortem pulchram esse ostendetur, quod, postquam specimen virtutis suae dederit et priusquam senectutis molestias expertus sit, ab omnibus desideratus obierit. — Maximam autem operam consolantes impendent defensioni praematurae mortis[2]). Longissima quoque vita, inquiunt, brevis est, si refertur ad aeternitatem[3]). Itaque non maxima aetas felicissima est, sed optima[4]); optimam autem vitam is vixit, qui omnibus vitae bonis satis usus est[5]). Ut autem

---

1) Vid. Dionys. Ars rh. c. VI. 5 p 264—266, quem in rationibus consolandi enumerandis sequor.

2) Vid. solatia, quae Menand. Περὶ ἐπιδ. c. XI. §. 3 7, Dionys. De or. fun. p 265 (V.) enumerant.

3) Aristidis soph. Epiced. in Eteoneum (or. XI.) 79 (p. 132 Dind.)

4) Aristid. ll. — Dio Chrys. or. XXIX. vol. I. p. 329 vs. 5 sqq. Dind.

5) Dio Chrys. or. XXVIII. vs. 15 sqq. XXIX. (p. 329 vs. 3 sqq.)

ea fabula maxime delectat, quae, cum spectatores cupidissimi sunt plura audiendi et spectandi, finitur, ita ea vita pulcherrima est, quae in ipso flore concidit [1]). Nam si diutius vixisset, ei fortasse tristia accidissent [2]). Nunc vero vitae miserias nondum expertus [3] abiit ad deos, ubi beatitudine fruitur [4]). Quos enim dii amant, eos praematura morte vinculis corporis liberant, id quod exempla Achillis Patrocli, Hectoris Memnonis, Sarpedonis [5]) Ganymedis [6]) testantur. — Hac parte epitaphii, quae est de Consolatione, iam Platonis tempore philosophi potiti sunt et solatiis ab oratoribus collectis nova a se ipsis excogitata addiderunt. Ut enim Plato, princeps philosophorum, omnem materiam epitaphii publici in Menexeno tractaverat, ita Crantor Academicus locum de consolatione excolendum sibi sumpsit in illo libello, quem de luctu ad Hippoclem quendam familiarem mortem liberorum lugentem misit [7]). Hoc scriptum nunc deperditum tantam admirationem veterum movit, ut postea multi philosophi non solum Graecorum, sed etiam Romanorum libros consolationis ad exemplum eius aut in vitae usum aut exercitationis causa conscriberent. Inter eos, qui Crantorem imitati sunt, primum locum obtinent Cicero, qui, ut se de morte filiae Tulliae consolaretur, talem librum composuit [8]), Seneca, qui ad Marciam matronam et ad Polybium [9]) litteras consolatorias misit,

---

1) Arist ll. — Dio Chr. or. XXVIII. vs. 31 sqq.

2) Dio Chr. ll. et or. XXIX p. 329 vs. 8 sqq.

3) Arist. Epic. in Eteon. 79 (p. 132). — Dio Chr. or. XXVIII. vs. 26 sqq.

4) Arist. ll. p. 131.

5) Dio Chr. ll. vs. 33 sqq. — XXIX. p. 329 (vol. I) sqq.

6) Cf. Dionys. De or. fun. (V) p. 265.

7) Vid. de hoc libello Schneider, Fr., Zeitschrift für Altertumswissenschaft 1836. N. 104. 105. De Crantore Academico. — Kayser, Fr., De Crantore Academico. Heidelbergae 1841. —

8) Schneider, Fr., De consolatione Ciceronis dissertatio. Vratisl. 1835.

9) Volkmann, R., Ueber Senekas Trostschr. an Polybius, in Magers paedag. Revue. Bd. 48 S. 104—135. —

denique incertus auctor libri *Παραμυθητικὸς πρὸς Ἀπολλώνιον* inscripti[1]). — De compositione librorum consolationis, qui ad homines, quorum luctus tempore mitigatus erat, mitti solebant, exponit Menander *Περὶ ἐπιδεικτικῶν* c. XI.

Sic sermonem de capitibus et partibus epitaphii ad finem perduximus; nam de Epilogo nihil habemus, quod referamus, nisi in extremis orationibus publicis enumeratis mortuorum honoribus propinquos ab oratoribus ad usitatam Lamentationem vocari et contionem verbo: *ἄπιτε* [vel *ἀποχωρεῖτε*] dimitti solitam esse.

§. 5.

Quibus in universum expositis transeamus ad singulos epitaphiorum publicorum scriptores.

Iam ante Periclem fuisse, qui tales orationes habuerint, cum ab aliis veterum auctoribus, quos vide apud Weberum,[2]) traditur, tum e Prooemio epitaphii Periclei apud Thucydidem[3]) cognoscitur. Quales autem illae orationes fuerint, nescimus, quia perierunt et ne nomina quidem oratorum ad nostram notitiam pervenerunt. Hoc tantum nobis veri simile videtur, primum epitaphium post pugnam Plataeensem de iis, qui in bellis Persicis ceciderunt, habitum esse, quia nulla oratio id genus a veteribus memoratur, quae prius habita sit, quam haec, cuius et Dionysius[4]) et Diodorus Siculus[5]) mentionem faciunt.

Prima autem orationum funebrium, de quibus certiores

---

1) Ed. Leon. Usterius, Turici 1830. Vid. de hoc libro Wyttenbach, Animadversiones in Plutarchi opera moralia T. II. — Volkmann, Comm de consolatione ad Apollonium pseudoplutarchea (zur Begrüssung der Philol. Vers. in Halle 1867). — Idem Leben u. Schriften u. Philos. des Plut. v. Chäronea. Berl. 1869.

2) In commentario: Ueber Perikles Standr. u. s. w. S. 592.

3) II. 35.

4) Antiq. R. V. 17.

5) 11. 33.

facti sumus, est ea, quae a Pericle in honorem Atheniensium primo anno belli Peloponnesiaci occisorum habita est. Haec quoque oratio periit quidem, sed summa eius a Thucydide[1]) refertur. Dionysius H.[2]) eam neutiquam a Pericle esse habitam, sed a scriptore ipso excogitatam esse iudicat et reprehendit scriptorem, quod Periclem orationem de iis ipsis, qui primo belli Peloponnesiaci anno ceciderint, pronuntiantem induxerit. Quos enim laudet, eos fuisse perpaucos neque propter res fortiter gestas tanto praeconio dignos. Non hos, inquit, sed alios, qui in posterioribus huius belli proeliis plures et fortiores occubuerint, laudare debuit. — Causam huius vitii criticus inde repetendam esse censet, quod Thucydides Periclem, quippe cuius persona clara ad opus suum ornandum uti voluerit, nisi hoc loco, dicentem inducere non potuerit, quoniam ille vir iam tertio anno belli (429 a. Chr. n.) mortuus sit. — Neque vero audiendus est Dionysius. Nam primum hac in re Thucydidem ficta narrare abhorret a veritate scriptoris[3]); atque ut hac virtute caruerit, ut ausus sit epitaphium publicum operi suo inserere non vere habitum, nonne eius aequales talem fraudem deprehensuri erant? Deinde non est, cur dubitetur, quin Pericles hunc epitaphium habuerit. Tempora enim tum orationem viri postulabant, cum Athenienses primo anno belli multa dura tulissent et metus esset, ne animo caderent et bello desisterent. Quod Pericles, utpote qui belli auctor fuisset, avertere debebat et volebat; itaque hac prima occasione populum adhortatione ad virtutem concitandi usus ad dicendum prodiit. Quo autem pauciores in bello ceciderant, eo facilius orationem a mortuis convertere potuit ad superstitum cohortationem. Ars autem, qua rei per se parvae tantam magnificentiam addidit, ut oratio omnium saeculorum admirationem moveret, non minus quam

---

1) II. 35—46.

2) De Thucyd. histor. iud. c. XVIII (vol. VI) p. 849.

3) Thuc. I. 22.

consilium ingenium magnum indicat Periclis.[1]) Tantum igitur abest, ut Dionysius hac de re recte iudicaverit, ut ne habuerit quidem, cur Thucydidi vitio verteret, quod ex epitaphiis in illo bello habitis non alium elegisset, quem memoriae proderet. Nam quis scit, quibus causis scriptor ad hoc faciendum commotus sit? Fortasse enim ceteros epitaphios non noverat, quoniam multos annos exul a patria aberat, aut nullum eorum dignum censuerat, quem litteris mandaret, aut denique ceteros, quod ad exemplum illius Periclei compositi essent, silentio praetermittendos esse existumaverat.

Quae cum ita sint, dubium non est, quin argumenti summa sit Periclis, cuius orationem Thucydides ipse audire potuit et audivisse videtur. Dictio vero est Thucydidea. Nam primum Periclem nihil litteris mandati reliquisse inter veteres constat[2]). Deinde elocutio, licet aliis locis poëtica orationum demonstrativarum ornamenta habeat[3]), aliis obscura brevitate indicat historicum, qui teste Cicerone[4]) eloquentia ad forensem usum apta carebat. Itaque ii, qui non solum sententias, sed etiam verba esse Periclis censent, non minus errant, quam ii, qui utrasque res Thucydidi tribuunt.

Ceterum scriptor materiam a Pericle acceptam tanta arte reddit, ut ii, qui epitaphium legunt, mascula simplicitate sermonis vere Attici, partium apta compositione et convenientia, totius orationis perfectione non possint non delectari. — Argumentum redactum est in certam illam talium orationum formam, quae iam tum, si minus in scholam, tamen in usum recepta erat.

Postquam in Prooemio (c. 35) de difficultate mortuos

---

1) Vid. Weber S. 606 ff.

2) Plut. Pericl. VIII. vs. 28 sqq.: *ἔγγραφον μὲν οὖν οὐδὲν ἀπολέλοιπε πλὴν τῶν ψηφισμάτων* (Sint.). Cf. Cic. Brut. VII 27. Weber S. 606.

3) Dionys. De Lys. iud. c. III p. 459; Epist. ad Ammaeum c. 16—17 p. 806 sqq.; De admir. vi dicendi in Demosth. c. IV. p. 963 (vol. VI.)

4) Orat. c. IX. Cf. Brut. VII. 29; De orat. II. c. XXII. 93.

cunctis approbantibus laudandi verba fecit, orator transit ad Laudationem (c. 36—42). Exorsus enim a laude maiorum digreditur ad civitatis Atticae primordia. De primis eius conditoribus pauca locutus breviter ostendit Athenienses eam terram, in qua indigenae sint, semper virtute sua liberam tenuisse. Deinde procedit ad parentes Atheniensium, in quibus id praedicat, quod libertati patriae addiderint potentiam. Denique venit ad aequales, qui civitatem florentissimam reddiderint cum in bellis rebus clarissime gestis tum in pace egregiis studiis, institutis, moribus. Illas, quoniam notae sint, omittit orator, de his copiosius agit. Laudat enim populare imperium, quod plurima bona habeat, aequabilitatem iuris et honorum, liberalitatem, libertatem coniunctam cum reverentia legum, animum non asperum vel tristem, sed remissum iucundumque (39). Postquam res, quibus Athenienses et domi et belli, publice et privatim cum omnibus populis tum Lacedaemoniis praestarent, praedicavit et ceteras quoque eorundem virtutes: pulchri et bonarum artium studium, divitiarum sapientem usum, rerum publicarum curam et scientiam, audaciam cum providentia coniunctam, beneficentiam denique, qua sibi amicos conciliarent (40), enumeravit, demonstrat, quanta bona civitati Atheniensium ex his virtutibus proficiscantur: laus humanitatis et doctrinae, potentia, rerum denique gestarum gloria non solum apud aequales, sed etiam apud posteros. Pro tali, inquit, civitate pugnantes hi occubuerunt; ad talis urbis salutem etiam vos, superstites, quantum potestis, conferre debetis (41). His verbis orator laudem civitatis et omnium Atheniensium pulcherrime concludit et iisdem verbis sequentia indicans orationem magna arte ad mortuos ipsos transfert. Obliqua, inquit, laus his redundat e civitatis gloria, cuius auctores sunt; e morte autem pro patria oppetita manat iis laus caritatis patriae et fortitudinis, inde denique, licet in ceteris rebus deteriores fuerint, iis manat laus virtutis (42). E defunctorum laude oratio labitur ad Cohortationem superstitum (43—45). Primum alloquitur cives, quos adhortatur, ut exemplum mortuorum imitentur nihil quam patriam pluris

aestimantes et incolumitatem eius pari fortitudine defendentes. Id si fecerint, iis eadem praemia, quae sepultis, fore, quibus contingat laus nunquam senescens, memoria semper in animis vigens, gloria denique non solum apud populares, sed apud omnes homines florens. Aliter vero si fecerint, cum omnibus turpitudinem ignaviae, tum divitioribus non solum ignominiam, sed etiam mutationem fortunae impendere (43). Deinde se convertit ad propinquos mortuorum, primum ad parentes. Hos, cum aetatem militarem excesserint, adhortatur, ut calamitatem fortiter ferant, id est Adhortatio fit Consolatio. Admonet autem parentes, ut e gloria liberorum, cuius ipsi participes sint, solatium hauriant. Praeterea ii, qui ad liberos alios procreandos adhuc apti sint, hac re se erigant, qui autem aetate provectiores sint, reputent, quanta felicitate per maiorem vitae partem fructi sint (44). Ex hac Consolatione rediens ad Adhortationem orator se convertit ad ceteros mortuorum propinquos. Filios enim et fratres hortatur, ut difficili officio mortuis laude non cedendi, quantum possint, satisfaciant. Viduas autem admonet, ut ea, quae feminas deceant, observent (45). In extrema oratione promittit orator liberis mortuorum nondum adultis publice consultum iri et cetera quoque praemia caesorum memorat, ut omnes inde non solum solatium, sed etiam amorem patriae hauriant. Finem autem orationi imponit praesentes ad Lamentationem usitatam dimittens (46). —

Paulo post Periclem rhetores scholae Siculae cum totam Graecorum eloquentiam tum epitaphiorum materiam sibi vindicaverunt. G o r g i a s enim Leontinus, qui anno quinto belli Peloponnesiaci (427) Athenas venit, epitaphium ad exemplum Periclei composuit[1]). Haec oratio periit quidem, sed magnum eius fragmentum servatum est apud Maximum Planudem ad Hermogenis librum 2. *περὶ ἰδεῶν*[2]), cui accedunt nonnulla,

---

1) Cf. Westerm. Quaestt. Demosth. part. II. c. I p. 6-

2) Rhett. gr. ed. Chr. Walz vol. 5 p. 548 sqq. Oratt. Att. ed. Bait. et Saupp. T. II. p. 129 sq. fr. 2.

quae a Philostrato[1]) de hoc epitaphio nobis traduntur. Illud fragmentum est de laude mortuorum, quorum virtutes enumerantur; quae autem a Philostrato referuntur, ea pertinent ad locum de Adhortatione, qua in parte orationis Gorgias res ab Atheniensibus contra Persas feliciter gestas praedicat, bellum vero ab iisdem cum Graecis gestum tecte reprehendit. Gorgiae epitaphius argumenti praestantia caret, nam sententiae, quantum e fragmentis et iudicio scholiastae cognoscitur, nihil habent gravitatis, sed tritae sunt et inanes[2]). Dictio vero novae eloquentiae illecebris et ornamentis instructa est, nam abundat rhetoricis schematibus et verbis poëticis[3]). Cum autem Gorgiana elocutio propter nimium ornatum a veteribus reprehendatur, a Philostrato (fr. 1) in epitaphio ars laudatur, qua auctor victorias Atheniensium a Persis reportatas maximis laudibus extulerit, res vero ab iisdem contra populares bene gestas silentio praetermiserit et hac ratione Athenienses tecte ab eo bello dehortatus sit, a quo eos aperte avocare non debuerit.

Hunc epitaphium publica auctoritate a Gorgia habitum esse a recentioribus iure negatur[4]). Nam primum Gorgiae mortuos publice laudare non licebat, quod non civis Atheniensis erat, hic honor civibus tantum tribuebatur. Deinde oratio universe in omnes, qui in bellis ceciderint, non in certos quosdam mortuos composita est[5]). Denique nimius orationis ornatus orationi in usum vitae pro contione habitae non convenit. Quae cum ita sint, dubitari non potest, quin

1) Vitt. sophist. 1, 9 p. 493 (Ol.); Kayser p. 209. Oratt. Att. ll. fr. 1.

2) Philostr. ll.

3) Dionys. ap. Max. Plan. ad Hermog. lib. 2 (Oratt. Att. fr. 2): *σεμνὰς γὰρ ἐνταῦθα ἐμφορήσας λέξεις ὁ Γοργίας ἐννοίας ἐπιπολαιτέρας ἐξαγγέλλει, τοῖς τε παρίσοις καὶ ὁμοιοτελεύτοις καὶ ὁμοιοκατάρκτοις καλλωπίζων διόλου προσκόρως τὸν λόγον.* — Cf. Dionys. de Lys. iud. c. III. p. 458. Aristot. Ars rh. III. 1 (vol. I p. 109 T. 1 Speng.). Cic. Orat. 49, 165; 52, 175 sq.

4) Cf. Westerm., Gesch. der Beredts. 1. Th. §. 32 Anm. 7.

5) Philostr. ll. (Oratt. Att. fr. 1).

rhetor orationem pronuntiaverit privatam eo consilio, ut Atheniensibus specimen artis suae ingeniique sollertiae daret et hoc modo discipulos alliceret. Quo anno id factum sit, definiri non potest[1]), praesertim cum oratio non in certos milites confecta sit. — Quod Gorgias voluit, id assecutus est; nam Atheniensibus summam admirationem suae eloquentiae iniecit et multos sua arte adeo delectavit, ut auctoritatem eius sequentes epitaphios Gorgiano more componerent.

Inter hos principem locum tenet Lysias, quem plures orationes funebres composuisse constat.[2]) Ex his una *ἐπιτάφιος τοῖς Κορινθίων βοηθοῖς* inscripta ad nostram aetatem permansit[3]). Hunc epitaphium in honorem eorum, qui bello Corinthio Iphicrate duce Corinthiis 387. a. Chr. n. auxilio missi occubuerunt, compositum Lysiae esse cum ab aliis tum a Blassio[4]) negatur. Hic enim docet orationem a Lysia non habitam esse, quod hic orator non civis Atheniensis fuerit, sed *ἰσοτελής*, atque epitaphius a Dionysio H., quippe qui opera Lysiae penitus noverit, silentio praetermissus sit. Idem Blassius ostendit orationem omnino non habitam esse, quod non solum certum tempus, quo habitus epitaphius cum omnibus rebus in illo bello gestis concinat, inveniri non possit, sed etiam oratio et ratio ab usu epitaphiorum vere habitorum adeo abhorreat, ut in ea eorum, in quorum laudem composita sit, vix mentio fiat. Denique exponit epitaphium a Lysia non solum non habitum, sed ne scriptum quidem esse, quod a ratione et oratione huius oratoris alienus sit. Inde vero quod auctor in Prooemio de certamine, quod sibi cum prioribus oratoribus sit, verba faciat et oratio eius nimis abundans sit, Blassius epi-

---

1) Weber (Nachtrag zur Abhdl. über Perikles' Stdr. Allg. Schz. S. 619) conicit id anno 424 a Chr. n. factum esse.

2) Vid. Dionys. H. iud. de Lys. 16 et Ars rh. VI p. 259; Plut. de vita Lys.; Theon prog. c. 1 vol. I p. 164 Rhett. Gr. Walz; Suid. v. *Λυσίας;* Photius Cod. 262. Weber ll. S. 592 Anm. 53. Westerm. Quaestt. Demosth. part. II p. 33.

3) Vid. Oratt. Att. ed. B. et S. T. I. p. 64 sqq.

4) Die att. Beredts. Bd. I S. 429 ff.

taphium a sophista aliquo, qui ad exemplum multarum id genus orationum prius scriptarum eum composuerit, conscriptum esse concludit et eos, quibus usus sit, scriptores enumerat: Herodotum, Thucydidem, Isocratem. Haec Blassius. — Ego sententiae eius non assentior, sed cum iis facio, qui orationem Lysiae tribuunt. Nam licet Lysias orationem, quod non civis Atheniensis erat, ipse non habuerit, id non impedit, quominus epitaphium ab hoc oratore conscriptum a polemarcho vel alio cive ad milites laudandos publice electo recitatum esse coniciamus. Cum enim apud Athenienses quotannis orationes funebres haberentur, epitaphii temporibus bellorum habiti discernendi sunt ab iis, qui post bella in pace pronuntiabantur. Ad illos in laudem civium modo caesorum in magna contione perorandos certe cives dicendi peritissimi eligebantur; hi vero, qui in honorem militum compluribus annis ante occisorum habendi erant, civibus etiam minus eloquentibus recitandi mandabantur, qui orationes non semper ipsi excogitavisse, sed a rhetore aliquo sibi conficiendas curavisse videntur †). Hoc modo haud scio an cum omnes orationes id genus, quos Lysias composuisse traditur, tum haec, de qua agimus, orta sit. In talibus autem orationibus, quoniam materia trita erat, difficile erat audientibus nova praebere, quamobrem auctores epitaphiorum artificiis rhetoricis adhibitis se ex his angustiis expedire studebant: eos locos, qui a Pericle paucis absoluti erant, amplificabant, notas res mutabant et nova veste indutas referebant, dictionem denique novis ornamentis instruebant. — Haec nobis quidem vitia esse videntur, quibus Periclea oratio libera sit; sed oratores illi non potuerunt non ad hanc artem confugere. Qua de causa Platonem quoque et Hyperidem, simulatque ad hoc genus dicendi accedunt, a consueta ratione

---

†) Eiusmodi oratores, qui orationes ab aliis compositas ediscant, ut eas publice decantent, significari et illudi veri simile est a Platone illo loco Menexeni (c. IV p. 236 B), ubi Socrates inducitur iocose narrans se ab Aspasia, sua magistra, quod epitaphium ab ea auditum memoria non tenuerit, paene verberatum esse.

argumenti tractandi recedere infra videbimus. Haec reputantes nos clementes in auctorem epitaphii praebebimus neque orationem Lysia indignam esse censebimus, praesertim cum orator teste Cicerone[1]) in hoc genere orationis minus versatus fuerit. Ceterum oratio a Ceramico non magis abhorret, quam Platonicus epitaphius, quem quotannis publice recitatum esse supra vidimus, et id mea quidem sententia nulla alia de causa, quam quod Athenienses civibus ad hoc electis operam etiam illo tempore, quo nulli milites sepeliendi erant, novos epitaphios conficiendi imponere noluerunt. Atque licet Dionysius de epitaphio Lysiae non nominatim disserat, tamen in universum de orationibus eius demonstrativis agens haec dicit[2]): *Ἐν μὲν δὴ τοῖς ἐπιδεικτικοῖς λόγοις μαλακώτερος .. βούλεται μὲν γὰρ ὑψηλότερος εἶναι καὶ μεγαλοπρεπέστερος, καὶ τῶν γε καθ' ἑαυτὸν ἢ πρότερον ῥητόρων οὐδενὸς ἂν δόξειεν εἶναι καταδεέστερος· οὐ διεγείρει δὲ τὸν ἀκροατήν, ὥσπερ Ἰσοκράτης ἢ Δημοσθένης.* Haec conveniunt epitaphio, quem habemus. Itaque orationem Lysianam eorum epitaphiorum, qui in honorem militum bello Corinthio occisorum habiti sunt, primum esse nego, dico autem eam unam ex posterioribus orationibus, quae in eosdem compositae sunt, esse. Inde enim, quod militum, in quorum laudem oratio conscripta est, parum mentio fit, concludere non licet epitaphium non vere habitum esse, sed hoc tantum apparet, eum non primam earum orationum esse, quae de civibus illis pronuntiatae sunt. Ante Lysiam autem milites bello Corinthio caesos ii oratores laudaverant, qui in Prooemio epitaphii Lysiani (§. 2) his verbis memorantur: *ὁ δ' ἀγὼν οὐ πρὸς τὰ τούτων ἔργα, ἀλλὰ πρὸς τοὺς προτέρον ἐπ' αὐτοῖς εἰρηκότας.* Qui quod laudem sepultorum abunde celebraverunt, Lysias hunc locum paucis absolvit (67—68), de aliis autem partibus ab illis breviter perstrictis, velut de rebus gestis antiquissimorum Atheniensium et de Lamentatione, copiosius agit. Quae quominus existume-

---

1) Brut. IX. 35.

2) Jud. de Lys. c. 28 p. 519.

mus non impediunt verba: '*οἱ δὲ νῦν θαπτόμενοι*', quae in §. 67 leguntur. Haec enim non sic intellegenda sunt: ii, qui nunc sepeliuntur," sed ex his fere contracta sunt: *οἱ δὲ ἐνθάδε κείμενοι* (§. 1) *ἐφ' οἷς νῦν λέγω*. Quae cum ita sint, Blassius et ii, quorum castra sequitur, non habere videntur, cur orationem a Lysia abiudicent, neque ego sententiam illius probo, quippe qui inde, quod in Prooemio de certamine oratorum sermo sit, sophistam aliquem esse auctorem orationis coniciat. Cur enim sophistae tantum talia verba faciant? Nonne Pericles quoque apud Thucydidem et alii oratores in exordiis suarum orationum priorum oratorum mentionem faciunt? Quod autem ad ornatum, quem Blassius in oratione reprehendit, attinet, ego quidem hunc non inveni, et cum ridiculo illo epitaphio Pseudodemosthenis, de quo infra agemus, comparata haec oratio haud dubie multo melior est. Sed haec hactenus. —

In numero eorum, qui orationes funebres Lysiano more habuerunt, etiam Archinum, qui praeter Dionem apud Platonem in Menexeno (p. 234 B) tamquam is, quem ab Atheniensibus ad epitaphium habendum delectum iri spes sit, memoratur, fuisse veri simile est.

De epitaphio a Dione recitato, quamquam hic orator non solum apud Platonem ll. nominatur, sed etiam apud Dionysium (Ars. rh. c. VI. p. 259) una cum Archino auctor talis orationis affertur, nihil novimus.

Epitaphius ad exemplum eorum, qui post Periclem conficiebantur, compositus in Platonis Menexeno dialogo circumdatus proponitur. Hic liber, quod vitiis laboret philosopho claro indignis — peccatur enim compluribus locis contra rerum veritatem, verborum elegantiam, tractationis denique artem — ab Ed. Zellero[1]) aliisque, quorum recentissimus est Jo. Gutscher[2]), ab eo, cuius nomen fert, abiudicatur. Alii, quorum princeps est Godofr. Stallbaumius[3]), ea, quae

1) Platon. Studien S. 144 ff. — Philos. dr. Gr. II^3, 1 S. 389. 418.

2) Marburg. Progr. 1864.

3) Prolegg. ad Menexenum p. 25.

in libro vitiosa sint, ad consilium auctoris vitia epitaphiorum illa aetate compositorum imitatione illudere volentis referunt et Platoni opusculum tribuendum esse censent. Ego neutri harum sententiarum in omnibus rebus assentior, quamquam in utraque multum boni video. Etenim cum Zellero auctorem Menexeni in epitaphio vitia aliorum imitando castigare nego, cum Stallbaumio vero a Zellero et aliis, qui opus subditicium esse censent, dissentio. Iniuria enim Stallbaumius orationi illud consilium supponere mihi quoque videtur, quod neque in dialogo legentes de hac re certiores fiunt neque oratio ipsa talis est, ut ex ea, quippe in qua auctor non more eorum, qui imitando illudunt, vitia in maius augeat, hoc cognoscatur, neque denique more philosophi †) orationis vitia alterius, quae sequitur, perfectione illustrantur. Zellerum vero errare existimo, cum auctorem Menexeni exemplar epitaphii proponere velle putet, inde autem, quod oratio plena vitiorum sit, Platonem non esse auctorem coniciat. Neque enim auctor Menexeni orationem in suo genere perfectam, ad cuius exemplum omnes epitaphii componendi sint, scribere sibi proposuit. Id neque promisit in dialogo orationi praemisso neque efficit. Immo epitaphio a se ipso composito id demonstrare vult, quod in dialogo docuit, non esse difficile talem epitaphium, quales Athenienses audire soleant, conficere. Quod cum ita sit, orationem, quae legitur in Menexeno, quoniam ad similitudinem orationum ad tempus compositarum scripta est, vitia talium orationum habere non mirum est. Cur autem, quaerat aliquis, philosophus ostendere studet facile esse epitaphios componere? Num eo spectat, ut suae sollertiae in dicendo specimen det? Hoc certe philosopho claro esset indignum. Quomodo autem res se habeat, apparet e dialogica parte Menexeni, in qua Plato auctores epitaphiorum illa aetate habitorum, imprimis Lysiam, illudit, qui in Prooemiis ridicula verba de difficultate officii sibi delati facere solebant. Ut enim intellegatur illos oratores non habere, cur sua se sollertia iactent, demonstrat oratione a se ipso

†) Cf. Phaedrum et Symposium.

composita etiam philosophum, qui ab hoc genere dicendi alienus sit, id posse, quo effecto maximum opus perfecisse illi oratores videri cupiant. Cur autem non difficile sit epitaphios more usitatorum componere, Plato non solum in dialogo docet, sed etiam usu demonstrat, cum ipse epitaphium conficiat. Illic enim ostendit auctores orationum funebrium Periclea oratione uti solere, hic imitatur studium eorum mutandis singulis illius epitaphii, quem consulant, partibus nova praebendi. Itaque certam illam formam orationis Pericleae in universum tenens singulas partes Lysiano more mutat. Ut iam ea, quae dixi, paucis comprehendam, in dialogo Plato illudit iactantiam oratorum, in epitaphio autem non vitia orationum ab illis compositarum, sed studium eorum fontem suum celandi imitatur, ut appareat id, quod illi diuturnam praeparationem poscere[1]) simulent, non difficile esse. Haec si reputaverimus, de vitiis Menexeni clementius iudicabimus quam Zellerus et alii. Alia enim vitia[2]) ad condicionem epitaphiorum post Periclem compositorum, de qua supra egimus, alia ad consilium auctoris non Periclem, sed oratores aequales ab hoc pendentes aequare volentis[3]), alia denique eo referemus, quod Plato in hoc genere dicendi hospes est et philosophus, a quo neque in verbis eloquentiam oratorum neque in rebus fidem historicorum poscere licet. — Hoc loco pauca mihi dicenda sunt de sententia Schleiermacheri[4]), qui, etiamsi non totum librum, tamen dialogicam partem a Platone abiudicat. Quod iudicium ego minime probo. Haec enim pars cum oratione funebri arctissime cohae-

---

1) Vid. Prooemium epitaphii Lysiani.

2) Velut nimium orationis ornatum et peccata contra rerum veritatem.

3) Id quoque, quod a multis in oratione reprehenditur, occisos parum respici, ponendum est in consilio auctoris, qui non certos quosdam milites laudare vult. Platonem universe de militibus occisis dixisse apparet etiam inde, quod oratio teste Cicerone quotannis Athenis recitata est. Hoc enim fieri non potuit, nisi epitaphius in hac re talis fuisset, qualis est.

4) Praefatio ad Menexenum p. 376.

ret, primum, quod ex ea intellegitur, quo consilio epitaphius sequens scriptus sit, deinde, quod, quae pars epitaphiorum usitatorum in Platonica oratione funebri desideratur, dico Prooemium, de ea agitur in dialogo, denique, quod ea ipsa verba libri, quae ab Aristotele laudari videbimus †), in hac parte leguntur. — Itaque, quod de oratione, idem de dialogo statuo, eum Platonis esse. Ea autem, quae hoc loco irrisionis pleno contra tractationis artem Zellero peccari videntur, quomodo intellegenda sint, ne vitiosa iudicentur, docet Stallbaumius; quare non opus sit, ut ego quoque de hac re exponam. — Restat, ut disputem contra eos, qui librum aggrediuntur, quod in eo sententias ex interiore philosophi sapientia petitas desiderant. „Cur," inquiunt, „siquidem Plato orationis auctor est, nihil de immortalitate animi legitur, quamquam in Consolatione amplus locus doctrinam ab illo de statu animorum post mortem excogitatam inserendi est datus?" At hoc adeo non mirum est, ut mirum esset, si quid de hac re inveniremus. Nam reputandum est epitaphios esse orationes pro contione habendas, in quibus nihil dici debet, quod a communi intellegentia alienum est. Tale autem aliquid erat cum tota Platonis philosophia tum doctrina eius de immortalitate animorum, quae, licet postea vulgarior facta sit, philosophi aetate eruditioribus tantum Graecorum nota erat. Itaque Plato, ne ea proferat, quae ab audientibus non intellecta essent, iure cavens communes tantum sententias consolandi causa affert. Inde autem, quod auctor e praeceptis moralibus illud *μηδὲν ἄγαν* eligit et mediocritatem laudat, haud male aliquis vestigium principis Academicorum *μετριοπάθειαν* probantium cognoscere sibi videatur. Vitia igitur quae videntur esse, quo referenda essent, ostendere studui, virtutes vero libro minime deesse negari non potest. Ea enim pars, quae pertinet ad philosophiam moralem, praestantia philosophum magnum indicat, qui abiectis oratoris blanditiis Atheniensibus veram suam sententiam aperit, cum eos acerbo sale castiget, qui ipsi virtutis expertes virtute maiorum se iactent. Hoc in loco, ut gratissimo,

†) Pag. 36 annot. 2.

philosophus multum versatur, hoc loco, quod Plato genere dicendi consueto utitur, fluit sermo eius et delectat legentes abundantia verborum gravissimorum. Cum ex iis ipsis, quae diximus, satis mihi apparere videatur non esse, cur Menexenus ut subditicius damnetur, accedit quod dialogus cum ab omnibus veteribus philosopho tribuitur[1]) tum ab Aristotele[2]), qui philosophi discipulus hac in re imprimis audiendus est. Quae cum ita sint, cum iis facere non dubito, qui Menexenum esse Platonis contendunt. Quorum in numero praeter Stallbaumium est Blassius[3]). Qui cum omittat sententiam suam argumentis e libro ipso petitis confirmare, id facit O. Perthesius in programmate nuperrime edito[4]). Huius viri iudicium, quippe qui novam de consilio dialogi sententiam praebeat, priusquam de Menexeno agere desinemus, paucis adumbremus. Ut enim demonstret eos errare, qui Menexenum a philosophia Platonis alienum esse iudicent, docet dialogum cum sapientia philosophi arctissime coniunctum esse, quod e consilio Platonis profectus sit populum Atheniensem ratione ad vulgarem intellegentiam accommodata ad eandem virtutem ducendi, ad quam idem eruditiores doctrina de optima republica a se excogitata in aliis scriptis ducere studeat, ad iustitiam. Qua de causa eum civibus loco commenticiae suae civitatis proponere Atheniensem, quam de industria nimis laudare, ut perfectae illi simillima sit. Haec Perthesius. Ego libenter huic sententiae, qua

---

1) Velut a Dionysio H. (De admir. vi dicendi in Demosth. C. XXIII p. 1027) et aliis.

2) Ars rhet. III. c. 14 (vol. I. p. 135 Spengel): *ὃ γὰρ λέγει Σωκράτης ἐν τῷ ἐπιταφίῳ ἀληθές, ὅτι οὐ χαλεπὸν Ἀθηναίους ἐν Ἀθηναίοις ἐπαινεῖν, ἀλλ' ἐν Λακεδαιμονίοις* (Cf. Menex. p. 235 D) et Ars rh. I. c. 9 *ὥσπερ γὰρ ὁ Σωκράτης ἔλεγεν, οὐ χαλεπὸν Ἀθηναίους ἐν Ἀθηναίοις ἐπαινεῖν.* Aristoteles iis, quos attulimus, locis nomen quidem Platonis ut auctoris Menexeni non dicit, sed ut alias ita hic quoque nomine Socratis, quippe qui in eo primas partes docentis sustineat, significat dialogum Platonicum. Cf. Cic. Orat. 44, 151.

3) Die att. Beredts. Bd. I.

4) Die platonische Schrift Menexenus im Lichte der Erziehungslehre Platos. Programm des Gymnasiums zu Bielefeld. 1886.

auctor lucem in tenebras intulisse arbitratur, assentirer, dummodo Platonem id in Menexeno velle planius ex hoc libro eluceret. Neque enim sine vi quadam Perthesius rem a se belle excogitatam libello inferre mihi videtur. Simul non esse existumo, cur tale aliquid ab eo enucleetur, cum Platonem ipsum, quid sibi proposuerit, legentes in dialogica parte Menexeni certiores facere viderimus. — Editus esse videtur dialogus paulo post pacem Antalcideam, quod haec pax ultima res est, cuius in ea mentio fit.

Epitaphium publicum Naucratem quoque composuisse veri simile est, cum Dionysius H.[1]) eum inter auctores talium orationum enumeret. Fuerunt autem, qui a Dionysio epitaphium ab eodem de Maussollo compositum, de quo infra agemus, intellegi censuerint. Hi mihi errare videntur. Etenim cum rhetor, postquam Naucratem nominavit, pergat: *οὐκ ἀπορήσομεν δ' οὐδὲ τῶν (ἐπιταφίων) πρὸς ἕκαστον,* apparet eum non orationem in Maussollum compositam respicere, utpote quae profecto in numero epitaphiorum de singulis habitorum sit. — Ruhnkenius[2]) et eum secutus Blassius[3]) locum, qui apud Plutarchum in Cimone[4]) legitur: *„τιμῶσι δὲ καὶ Κιτιεῖς τάφον τινὰ Κίμωνος, ὥς Ναυσικράτης ὁ ῥήτωρ φησὶν, ἐν λοιμῷ καὶ γῆς ἀφορίᾳ τοῦ θεοῦ προστάξαντος αὐτοῖς μὴ ἀμελεῖν Κίμωνος, ἀλλ' ὡς κρείττονα σέβεσθαι καὶ γεραίρειν,“* ex illo Naucratis epitaphio deperdito repetitum esse coniciunt; quare iidem ll. Plutarchi pro *Ναυσικράτης* legendum esse *Ναυκράτης* existumant. —

Etiam Demosthenem epitaphium publicum post pugnam Chaeroneensem habuisse et ab eo ipso nobis traditur[5]) et testimoniis Plutarchi[6]) Dionysiique[7]) confirmatur. Eam autem orationem funebrem, quae hodie nomine Demosthenis

---

1) Ars rh. VI. p. 259.

2) Vid. Oratt. Att. ed. B. et S. T. II p. 245sq.

3) Die att. Ber. Bd. II. S. 417.

4) c. 19. (Sint.)

5) De cor. p. 320 §. 285.

6) Vit. X. or. 8 med.

7) Ars rh. c. VI. p. 259.

circumfertur, subditiciam esse iam veteres[1]) iudicaverunt, et nostra aetate eadem sententia cum ab aliis defenditur tum a Westermanno.[2]) Hic enim demonstrat et totam orationem[3]) et singulas eius partes[4]) illo claro oratore esse indignas, quod oratio a Demosthenis elegantia, ratio ab eiusdem gravitate et dignitate aliena sit, vitiorum autem causam ne eo quidem referre liceat, quod Demosthenes fortasse ex tempore dixerit, cui rei repugnent testimonia veterum, quippe qui eum unquam non praeparatum ad dicendum prodiisse negent[5]). Quae cum ita sint, orationem haud dubie e manu alicuius sophistae profectam esse, qui imprimis Platonis Menexenum secutus sit, ita tamen, ut hunc fontem misere turbaret. Etenim, ne in exscribendo Platone deprehenderetur, alia inde deprompta mutasse, ita tamen, ut modo verborum venustatem et elegantiam tolleret[6]), modo rerum et temporum ordinem perverteret[7]) et sententiarum praestantiam depravaret[8]), alia a Platone allata, quae omitti non debuerint, silentio praeteriisse[9]). Quae vero sophista ipse invenerit, ea magis puero esse digna, quam claro illo oratore. Nam eum

---

1) Dionys. De admir. vi dicendi in Demosth. p. 1027 vs 11 sq.: τὸν μὲν γὰρ (dicit epitaphium, qui Demosthenis nomine circumfertur) οὐχ ἡγοῖμαι ὑπ᾽ ἐκείνου τοῦ ἀνδρὸς γεγράφθαι. Idem ll. p. 1094 sq.: πανηγυρικοὺς μὲν οὖν λόγους οὐκ ἔχομεν ὑπ᾽ αὐτοῦ παρέχεσθαι· πάντας γὰρ ἔγωγε τοὺς ἀναφερομένους εἰς αὐτὸν ἀλλοτρίους εἶναι πείθομαι καὶ οὐδὲ κατὰ μικρὸν ἔχοντας τὸν ἐκείνου χαρακτῆρα, οὔτ᾽ ἐν τοῖς νοήμασι, τῆς δὲ συνθέσεως ὅλῳ καὶ τῷ παντὶ λειπομένους· ὧν ἐστιν ὅ τε φορτικὸς καὶ κενὸς καὶ παιδαριώδης ἐπιτάφιος.

2) Quaestt. Demosth. part. II c. III p. 53 69.

3) p 52 sq.

4) ll. p. 53—69.

5) Plut. Demosth. 8 (Westerm.).

6) Cf. ea, quae Pseudodemosth. §. 4 sq. et Plato in Menex. c. VI sq. p. 237 proferunt.

7) Vd. §. 7. 8, ubi sophista bella enumerans temporum ordinem neglegit.

8) Vid. Westerm. ll. p. 59 de §. 9 Pseudodemosthenis.

9) Velut bella Persica.

nihil addidisse, nisi vanas excusationes[1]), ridiculas captationes dialecticas[2]), veritatis perversiones[3]), frigidum denique illum locum de tribubus Atticae[4]). Hactenus Westermannus. — Hanc orationem ne ego quidem defendere audeo, quod ratio et oratio eius tam puerilis est, ut vitia excusari non possint, quod igitur epitaphius oratore, qualis est Demosthenes, prorsus indignus est. Itaque non habeo, cur de hac re a Westermanno satis illustrata plura dicam. De fontibus autem, e quibus incertus auctor hauserit, nonnulla mihi addenda sunt. Praeter eos enim, quos Westermannus affert, sophista Hyperide quoque usus est. Nam ut omittam eos locos, quos incertus auctor, quoniam in epitaphiis Thucydidis et Hyperidis multa similia sunt, ex utroque fonte repetiisse potest[5]), non desunt loci, quos ex Hyperide sumpsisse mihi videatur. Velut illa Hyperidea (II. (III.) vs. 19—32 ed. Blass): „omnes res gestas singulatim enumerare longum est, sed summatim de iis dicere conabor" simili modo a sophista quoque afferuntur (§. 6). — Etiam ea, quae apud Hyperidem locum laudatum sequuntur (II. vs. 32 sqq.), si contuleris cum Pseudodemosthenis §. 24, magnam similitudinem videbis, nam illic civitas Atheniensis, hic milites caesi comparantur cum sole, quippe qui hominibus maximorum beneficiorum auctor sit. Beneficia autem, quae civitas ceteris Graecis tribuerit, ab Hyperide (III (IV.) vs. 11 sqq.) laudata apud sophistam (§. 7) memorantur. — Adde ea, quae ille orator de Leosthene (VI, 38), Pseudodemosthenes (§. 19) de militibus caesis dicit. Ille: *συνέβη δὲ αὐτῷ τῶν μὲν πραγμάτων, ὧν προείλετο κρατῆσαι, — τῆς δὲ εἱμαρμένης οὐκ ἦν περιγενέσθαι,*

---

1) §. 12.

2) §. 13.

3) §. 15 sqq.

4) § 20 sq.

5) § 27 sqq.

6) Cf. Ps. Dem. § 35 cum Hyper. Epilog. (Blass. p. 70) et Thuc II. 44; porro Ps. Dem. §. 32 cum Hyper. ll. (*εὐδοξίαν ἀγήρατον*) cf. Thuc. II. 43 (*ἀγήρων ἔπαινον*).

hic: *ὃ δ᾽ εἰς τοῦτο ἕκαστον ἔδει παρασχέσθαι, πᾶς ὁ μένων πεποίηκεν. εἰ δὲ θνητὸς ὢν τὴν εἱμαρμένην ἔσχε, τῇ τύχῃ πέπονθε τὸ συμβαῖνον* . . — Ille quoque locus sophistae (§. 10sq.), quem in comparatione sepultorum militum cum Graecis contra Troianos pugnantibus versantem Westermannus (p. 61) ex Isocratis Panegyrico c. 23 depromptum esse censet, non ex illo ipso fonte derivatus videtur, sed ex epitaphio Hyperidis (XII. (XIII.) vs. 19 sqq.). Nam ego quidem crediderim ineptum scriptorem epitaphium suum conficientem nullas orationes consuluisse, nisi *ἐπιτάφιος* inscriptas. Quae autem Hyperides in Epilogo verbis: *εὐδαίμονες κατὰ πάντα* comprehendit, ea sophista latius expicat res enumerans, quibus caesi beati sint (§. 32). Ibidem §. 32 Pseudodemosthenes: *ἐν ᾗ (εὐκλείᾳ),* inquit, *καὶ παῖδες οἱ τούτων ὀνομαστοὶ τραφήσονται καὶ γονεῖς οἱ τούτων περίβλεπτοι γηροτροφήσονται.* Similia affert Hyperides IX (X) vs. 37 sqq.: *διὰ τούτους πατέρες ἔνδοξοι, μητέρες περίβλεπτοι τοῖς πολίταις γεγόνασι* . . . — Ex his, quae attuimus, satis apparere existumo Hyperidem a sophista minime neglectum esse. —

Ut autem pauca addam de epitaphio a Demosthene ipso habito, dubium non est, quin ne hic quidem orator ab ea forma, quae in usu erat, discesserit. Atque licet oratio eius prioribus gravitate et praestantia sententiarum praestiterit, dictio profecto splendida et elocutioni rhetorum Siculorum non dissimilis erat. Nam orationes in ostentationem compositae, quales epitaphii sunt, ornamenta postulant.

Id cognoscitur in Hyperide, cuius epitaphius in honorem eorum, qui in obsidione Lamiae cum Leosthene anno 323 a. Chr. n. ceciderunt, habitus[1]) satis integer ad nos permansit[2]). Quae oratio cum non subditicia, sed re vera

---

1) Vid. epitaphii vs. 1—8. (ap. Blassium).

2) Epitaphium nuper (a. 1856) Britannus H. Stobartus cum fragmentis aliarum eiusdem oratoris orationum in papyro scriptum in Aegypto invenit et in patriam suam attulit. Blass. Praef. ad frgm. Hyperidis p. XIII.

illa sit, quae a veteribus celebrata est[1]), ex ea patet, quo modo Hyperides, qui orator in ceteris orationibus simplicitati non fucatae operam dat, hanc materiam tractet. Hic autem non dubitat simplicitate abiecta ornamentis dictionis uti. Sententiarum vero praestantia, gravitas, vis, novitas orationi desunt. Itaque epitaphius in numero earum orationum est, quae licet elegantia sermonis delectent, in animos non alte descendant. Quamvis autem hoc ita se habeat, oratio magni aestimanda est, quod haud pauca adhuc in historia Graecorum obscura et incerta ea illustrantur[2]). Nobis autem de epitaphiis agentibus oratio eo pretiosior esse videtur, quod *una* ex omnibus orationibus in Ceramico et id in laudem civium *modo* sepultorum pro contione magna habitis *talis*, *qualis* ab oratore pronuntiata est, ad nostram aetatem permansit. Itaque quoniam Thucydidei epitaphii, qui praeter Hyperideum unus ex iis, quos novimus, in honorem civium *paulo* ante caesorum, etiamsi non iisdem verbis, quibus Pericles usus erat, compositus est, argumentum supra adumbravimus, non alienum esse arbitror idem facere de oratione Hyperidis, praesertim cum sic ultimus publicorum epitaphiorum servatorum primo respondeat.

In Prooemio (I—II. 19) orator mentione laudandorum facta se metuere dicit, ne magnitudinem rei verbis non assequatur, sperare autem audientes ea, quae ipse omissurus sit, suppleturos esse. Rebus deinde, de quibus dicturus sit, propositis ingreditur in Laudationem (II. vs. 19 — XIII vs. 44). Incipit enim a laude patriae (II. 19 — III. 21), quam paucis absolvit eius beneficia erga Graecos monstrans. Tum ad ipsos mortuos orationem transferens (III. 21 — XIII. 44)

1) Philologus 1 Supplementbd. S. 9. Blass. Praef. ad Hyp. frgm. p. XLIII. — Cf. Fritzsche De Hyperidis laudatione funebri (Rostocker Proöm. 1864). Epitaphius memoratur a Diod. Sic. (XVIII, 13), Dionys. H. Art. rh. c. VI T. V p. 259, Theone (prog. c. 1 vol. I p. 164 Rh. Gr. Walz), aliis. Cf. Weber Abth. II N. 75 S. 594. Westerm. Qu. Dem. part. II c. II p. 40 sq.

2) Saupp. in Philolg. (Suppl. I) S. 52 f.

primum agit de genere eorum (III. 28 — IV. 13), cuius antiquitas et nobilitas ex hoc ipso appareat, quod maiores in Attica indigenae, non advenae sint; quoniam autem omnes Athenienses eodem genere sunt, rem breviter astringit et laude qualitatis omissa properat ad locum de educatione (IV. 13—28), quem in pauca confert, quod educationis praestantia optime cognoscatur e studiis et rebus gestis. Hoc modo festinat orator ad eam partem Laudationis, in qua copiosissime versatur, ad res gestas (IV. 28 — XIII. 44). Has ita enumerat, ut primum de Leosthenis ducis facinoribus disserat (IV. 34 — VI. 14); in hoc autem non solum id praedicat, quod vivus multa bene gesserit, (IV. 34 — VI. 2), sed etiam, quod ne mortuus quidem desinat patriae prodesse (VI. 2—14). Deinde agit de eorum, qui cum eo ceciderint, meritis (VI 14 — IX. 9). Hi, inquit, laude ducis ipsi quoque laudati sunt, cum per eos dux praeclara illa facinora perfecerit. Neque vero in obliqua laude (VI. 14 - 30) orator acquiescit, sed praedicat primum eorum fortitudinem, quam morte pro patria in bello oppetita monstraverint. Causam fortitudinis eorum ponit cum in amore patriae, quam liberam esse voluerint, tum in recordatione miserrimae fortunae Thebanorum ab hostibus victorum. Tum victorias eorum celebrat, quibus enumeratis laudem caesorum his verbis (VII. 32 sqq.) comprehendit: „Nulli,“ inquit, „unquam fuerunt, qui de pulchrioribus contra potentiores pugnaverint pauciores.“ Quo autem eorum merita magis illustret, ostendit orator, quantum boni ex virtute eorum, qui ceciderint, patriae redundaverit (VII. 39 — VIII. 34). Docet enim eos non solum multa bona effecisse (VII. 39—43), quoniam omnibus Graecis libertatem, patriae autem gloriam comparaverint, sed etiam multa mala avertisse (VIII. 1—34), cum ex iis, quae Graeci iam a Macedonibus neque ius neque fas observantibus tulerint, concludi possit, quam dura iidem toleraturi fuerint, nisi occisi patriae salutem defendissent. Id autem ut consequerentur, milites optimos neque labores neque pericula fugisse (VIII. 34 — IX. 9). Quibus expositis orator praemia enumerat, quae caesis ex virtute redundent (IX. 9 — XII. 14).

Eos enim beatos dicit, quod pro popularium et propinquorum salute et felicitate mortui sempiternam gloriam habituri et ne mortui quidem sint ii, qui vitam aerumnosam meliore, quam vivant in memoria superstitum, commutaverint (IX. 43 — X. 29). Nam omni tempore, loco, in omni denique condicione omnis aetatis homines et aequales et maiores et minores natu memoriam eorum servaturos poëtasque et oratores res ab illis gestas et voluptatis et utilitatis causa celebraturos, semper gloriam eorum et apud populares et apud omnes mansuram esse. Postquam ostendit, quae praemia virtutis sepultis apud vivos contingerent, orator eosdem inferis quoque gratos et acceptos esse affirmat, quibuscum rerum gestarum gloria coniunctissimi sint (XII. 14—18). Sic artificiose orationem traducit ad Comparationem, qua parte Laudationis demonstrat a caesis non solum illos, qui contra Troianos et Persas gloriosissime pugnaverint, sed etiam Harmodium et Aristogitonem esse superatos (XII. 19 — XIII. 44). — Quae in oratione hunc locum secuta sunt, perierunt. Sed ea pars Epilogi, quae est de Consolatione, tota fere servata esse videtur †). In hac superstites admonet, ut dolorem quamvis iustum coerceant non solum tristia rei animo proponentes, sed etiam laeta. Iis enim, qui ceciderint, pro senectute gloriam futuram esse nunquam senescentem et eos beatos esse sive sine liberis mortui sint, quod laudes Graecorum iis liberorum instar sint futurae, sive liberos reliquerint, quia res publica iis sit consultura. Beatos autem esse, sive mortuis sensus non sit, quod doloribus liberati sint, sive sit, quod a diis, pro quorum honore pugnaverint, praemia larga sint laturi. — Periise videntur praeter Adhortationem superstitum verba illa sollemnia, quibus oratores contionem ad Lamentationem dimittere solebant.

Hyperidem in componendo epitaphio orationem Pericleam compilavisse cognoscitur e similitudine cum aliorum tum ho-

†) Vid. hanc partem ap. Blassium p. 70.

rum locorum: Uterque orator, postquam de difficultate muneris caesos laudandi verba fecit, in Propositione, quam Pericles post laudem generis orationi inserit (c. 36), Hyperides Prooemio adiungit (II), de studiis, re publica, moribus Atheniensium se dicturum, res vero gestas eorum omissurum esse indicat. — Ille agit in eodem Capite de autochthonia (ut hoc vocabulo Graeco utar), item Hyperides, qui et hoc loco et ceteris, quos afferemus, brevitatem Pericleam ornatu verborum dilatat (III. 30 — IV. 13). — Educationis et morum laudem se praetermittere uterque dicit, quod praestantia et educationis et morum eluceat e rebus praeclarissime gestis; Pericles enim (c. 42): *δοκεῖ δέ*, inquit, *μοι δηλοῦν ἀνδρὸς ἀρετὴν . . . ἡ νῦν τῶνδε καταστροφή* etc.; alter orator (IV. 13—34) eandem sententiam affert his verbis: *ἀλλὰ περὶ τῆς παιδείας αὐτῶν ἐπιμνησθῶ, καὶ ὡς ἐν πολλῇ σωφροσύνῃ παῖδες ὄντες ἐτράφησαν, καὶ ἐπαιδεύθησαν ἅπερ εἰώθασιν παιδεύειν· — ἀλλ' οἶμαι πάντας εἰδέναι ὅτι τούτου ἕνεκα τοὺς παῖδας παιδεύομεν, ἵνα ἄνδρες ἀγαθοὶ γένωνται· τοὺς δὲ γεγενημένους ἐν τῷ πολέμῳ ἄνδρας ὑπερβάλλοντας τῇ ἀρετῇ, πρόδηλόν ἐστιν ὅτι παῖδες ὄντες καλῶς ἐπαιδεύθησαν. — ἁπλούστατον οὖν ἡγοῦμαι εἶναι τὴν ἐν τῷ πολέμῳ διεξελθεῖν ἀρετὴν καὶ ὡς πολλῶν ἀγαθῶν αἴτιοι γεγένηνται τῇ πατρίδι καὶ τοῖς ἄλλοις Ἕλλησιν.* — Atque ut ille se laude civitatis laudavisse occisos (42), ita hic laudem Leosthenis pertinere ad ceteros quoque caesos affirmat (VI. 18 sqq.). — Ex obliqua autem laude uterque (Pericl. 42. Hyperides VI, 30 — VII. 2) transit ad rectam eorum virtutem praedicans, qui pro patria sanguinem profuderint. — Et uterque sepultos dicit beatos, quod pro vita miseriarum plena immortalem gloriam (Pericl. 43: *ἀγήρων ἔπαινον*; Hyp. IX. 18 sq. *ἀθάνατον δόξαν*, in Consolatione *ἀγήρατον δοξίαν*) sibi comparaverint. — Sed ut hoc mittam, Hyperides (IX, 22—31) laudat libertatem rei publicae; hunc locum haud dubie repetiit a Pericle, qui eadem de re (Cap. 37) copiosius agit. — Quae porro hic paucis complectitur, cum dicit (43): *ἡ δόξα αὐτῶν παρὰ τῷ* ἐ ν τ υ χ ό ν τ ι *ἀεὶ καὶ λόγου καὶ ἔργου καιρῷ ἀείμνηστος κατα-*

λείπεται, ea Hyperides multis reddit singulos, a quibus caesi laude extollantur, enumerans (X. 25 — XI. 42). — Atque ne Consolationem quidem Periclis neglexit imitator. Nam ut cetera similia omittam, hic lugentes consolari incipiens: „*Χαλεπὸν μὲν*,“ inquit, „*ἴσως ἐστὶ τοὺς ἐν τοῖς τοιούτοις ὄντας πάθεσι παραμυθεῖσθαι*,“ et nonnullis interiectis pergit: „*ὅμως δὲ χρὴ θαρρεῖν*;“ iisdem fere verbis Pericles (c. 44) utitur, cum dicat: “*χαλεπὸν μὲν οὖν οἶδα πείθειν ὄν . . ., καρτερεῖν δὲ χρή*.“ —

Hyperides agmen eorum, qui milites in bellis occisos publice laudaverunt, claudit. Nam eiusmodi orationes postea compositae sunt **sophisticae declamationes**. Huc pertinent, ut omittam orationes id genus, quae aetate Ciceronis et Plutarchi conscriptae sunt†), orationes, quae dicuntur polemarchicae, inter quas principem locum obtinet oratio II. Himeri *πολεμαρχικός* inscripta. Hanc ad exemplum epitaphiorum publicorum compositam esse apparet e tractatione Prooemii (§. 1), in quo sophista more oratorum institutum epitaphii laudat et commoda eius explicat. Idem cognoscitur ex ea parte orationis, quae est de laude maiorum (§. 2 — §. 32), ubi primum de genere Atheniensium, deinde de virtutibus, denique de rebus gestis eorum disseritur. Sed in reliquis partibus oratio epitaphiis vere habitis dissimilis est; nam mera est Laudatio Atheniensium. Itaque mortuorum nulla fere mentio fit, Lamentatio autem et Adhortatio et Consolatio prorsus desunt, quia Epilogus quoque (32—33) versatur in exclamationibus, quae pertinent ad laudem rerum gestarum antea enumeratarum. — Haec de epitaphiis publicis. —

---

1) Vid. Weber, Über Perikles Stdr. u. s. w. S. 595.

Cap. II.

§. 1.

Ut iam ad eas orationes transeamus, quae **privatim** de **singulis** defunctis a veteribus Graecis compositae sunt, multi poëtae in carminibus suis officium defunctos deplorandi aut luctu afflictos consolandi susceperunt. Primus eorum est Homerus, qui in Iliade 24, vs. 725—775 Andromacham, Hecubam, Helenam Hectoris necem deflentes facit. Ut cetera eiusmodi, quae apud Homerum inveniuntur[1]), omittam, a posterioribus poëtis multa id genus carmina conscripta sunt, quae enumerantur apud Westermannum (Quaestt. Dem. part. II. c. II. p. 24 Annot. 14). Sed plurima eorum perierunt, ea autem, quae servata sunt, merae fere sunt Lamentationes. Huc pertinent epitaphii Bionis et Moschi, quorum ille Adonidis in fabulis celebrati obitum deplorat. In poëmate eius Lamentationi (vs. 15 — 98), quemadmodum in monodia, Laudatio (vs. 1—14) admixta est. Laudatur autem in defuncto nihil, nisi formositas cum totius corporis tum partium. Ad unius cuiusque autem partis laudem Lamentatio sic fere accedit: Formosus adolescens (Laud.) periit (Lam.); femur pulchrum dente vulneratum (8); caro nive albior sanguine cruenta (9. 10); oculi supercilio pulchro ornati rigidi (10); labra rosea pallida (11) sunt. In altera parte carminis 'querelae Cypridis et dolor non solum animalium, sed etiam inanimatarum rerum proferuntur[2]). —

Ut Bionis epitaphius, ita Moschi quoque carmen versatur in luctu; deploratur enim mors Bionis bubulci veneno (vs. 109 sqq.) necati. Poëma ad exemplum epitaphii in Ado-

---

1) Apud Homerum primum forma monodiae invenitur; Menander *Περὶ ἐπιδεικτ.* C. X § 1.

2) Vid. de hoc carmine lyrico Lang, Bions Grablied auf Adonis, Eos, 2. Jhrg. 1866. S. 204 ff.

nidem scripti compositum esse patet[1]. Mortui Laudatio vix attingitur. —

§. 2.

Relictis poëtis properemus ad scriptores prosae. Sed ne hi quidem nobis multam dicendi materiam praebebunt. Nam epitaphii Athenis de singulis vere habiti ne memorantur quidem; de illis vero orationibus funebribus; quas Artemisia, regina Halicarnassensis, in honorem Maussolli a. 352 a. Chr. n. defuncti recitandas curavit, nihil scimus, nisi quae a Gellio traduntur, apud quem[2] haec legimus: „Id monumentum[3] Artemisia cum dis manibus sacris Mausoli dicaret, agona, id est certamen laudibus eius dicundis, facit ponitque praemia pecuniae aliarumque rerum bonarum amplissima. Ad eas laudes decertandas venisse dicuntur viri nobiles ingenio atque lingua praestabili Theopompus, Theodectes, Naucrates; sunt etiam, qui Isocratem ipsum cum his certavisse memoriae mandaverint. Sed eo certamine vicisse Theopompum iudicatum est.“ „Sunt etiam, qui Isocratem ipsum cum his certavisse memoriae mandaverint,“ inquit Gellius, quia Isocratem minorem natu confundit cum maiore; nam ille, non hic, certamini interfuit, id, quod nobis a Suida his verbis traditur[4]: *Ἰσοκράτης, Ἀμύκλα τοῦ φιλοσόφου, Ἀπολλωνίας τῆς ἐν τῷ Πόντῳ, ἢ Ἡρακλείας ὡς Καλλίστρατος, ῥήτωρ, μαθητὴς καὶ διάδοχος τοῦ μεγάλου Ἰσοκράτους, διακούσας δὲ καὶ Πλάτωνος τοῦ φιλοσόφου. οὗτος δὲ ὁ Ἰσοκράτης καὶ Θεοδέκτῃ, τῷ ῥήτορι καὶ τραγῳδιοποιῷ, καὶ Θεοπόμπῳ τῷ Χίῳ ἅμα*

---

1) Cf. imprimis vs. 65—68, versum intercalarem, querelas naturae.

2) Noct. Att. lib. X c. 18.

3) Scil.: Mausoleum.

4) 1, 2 p. 1078 Bernh. Vd. Oratt. Att. ed. B. et S. T. II. p. 245 Frgm. Isocr. Apolloniatae.

τῷ Ἐρυθραίῳ Ναυκράτει διηγωνίσατο περὶ λόγων εἰς τὸν ἐπιτάφιον Μαυσώλου τοῦ βασιλέως Ἁλικαρνασσοῦ. καὶ λόγοι αὐτοῦ ε' Ἀμφικτυονικός, προτρεπτικός, περὶ τοῦ τάφον μὴ ποιῆσαι Φιλίππῳ, περὶ τῆς ἑαυτοῦ πολιτείας. — Haec sunt, quae de epitaphiis de singulis vere habitis ad nostram notitiam pervenerunt. — Pauca etiam reperiemus, quae in vitae usum, ut legerentur, scripta sunt. Nam orationum funebrium aut de hominibus modo mortuis aut de iis, qui paucis mensibus antea sepulti sunt, compositarum nullae aetatem tulerunt; eae autem orationes, quae de hominibus multo ante mortuis scriptae exstant, epitaphii proprie dici non possunt, quia versantur in mera Laudatione. Huc pertinent cum aliae Laudationes virorum clarorum tum Isocratis Euagoras. Hunc librum nihil esse, nisi Laudationem illius regis, ex ipsis oratoris verbis (§. 73) „*τὸν ἔπαινον τοῦτον*“ et „*οὐκ ἀνεγκωμιαστός ἐστιν*“ intellegitur, neque id mirum; nam, cum Euagoras multis annis ante defunctus sit, Lamentatio et Consolatio in oratione locum non habent; cf. Menand. *Περὶ ἐπιδεικτ.* Cap. XII.: *ὁ μετὰ χρόνον πολὺν λεγόμενος ἐπιτάφιος καθαρόν ἐστιν ἐγκώμιον, ὡς Ἰσοκράτους ὁ Εὐαγόρας.* – In his litteris ad Nicoclem, Euagorae, regis Salaminii, filium missis Isocrates verborum ornamentis maximam operam dedit et genus dicendi demonstrativum ad perfectionem perduxit, cuius rei non solum ceterae eius orationes, sed etiam Euagoras documento est. —

Quae praeterea ad nos permanserunt orationes funebres, eae sunt **sophistarum declamationes** sententiarum gravitate prorsus carentes et ne elegantia quidem sermonis vere Attici delectantes.

Agmen eorum, qui tales orationes scripserunt, ducit Dio Chrysostomus, qui (or. XXIX) epitaphium in Melancomam quendam athletam praemature mortuum composuit. E Ceramico et domibus regum epitaphius descendit in tugurium athletae, e manibus oratorum maximorum transit in manus adolescentuli, qui, quamquam dicendi nondum peritus, hoc modo amicum morte sibi ereptum colere

studet (Prooem. p. 323 vs. 9—26). Simulatque auctor incipit mortuum laudare, non postest non in angustias venire; nam quid dicat de genere mortui? Nihil habet, quod afferat, nisi praestantiam patris. Eo largiorem materiam dicendi praebet formositas et robur athletae. Hanc occasionem orator minime neglegit, id quod ipse quodam modo confitetur, cum pag. 325 vs. 19sq. dicat: *εἰ δέ τις φήσει κάλλους με ποιεῖσθαι ἐγκώμια, ἀλλ' οὐχὶ τοῦ ἀνδρὸς, οὐκ ἂν ὀρθῶς αἰτιῷτο.* Minus uber est locus de virtutibus animi; itaque paucis absolvitur, praedicatur autem fortitudo (p. 325 vs. 26 — p. 326 vs. 5). Studia defuncti ne silentio praetermittere cogatur, orator nonnulla verba de difficultate artis athleticae profert (p. 326 vs. 5—7). Sic venit ad res gestas (p. 326, 7 — 327, 19) et victorias, quas mortuus ab aliis athletis reportaverit, laudat. Sequuntur reliquae epitaphii partes (327, 19 — 330, 6).

Hac declamatione pueriliores sunt Polemonis Laudationes II funebres in Cynaegirum et Callimachum. His orationibus omnium ineptissimis nulla fere similitudo est cum epitaphiis. Neque enim tam demonstrativo quam iudiciali generi †) annumerandae sunt. Sophista enim fingit legem Atheniensium, qua constitutum sit, ut epitaphius publicus a patre eius, qui in bello fortius quam omnes pugnans mortuus sit, haberetur, et duos patres apud iudices de iure mortuos laudandi litigantes facit, quorum uterque suum filium, unus Cynaegirum, alter Callimachum, gloriosius quam ceteros recidisse contendit. Totus liber versatur in Comparatione occisorum, quam uterque pater ita init, ut de laude adversarii detrahens, sui autem filii res gestas in maius augens ostendat sibi munus occisos publice laudandi mandandum esse. Itaque declamatio duas partes habet, quarum in priore pater Cynaegiri, in posteriore Callimachi ius suum defendit.

---

†) Orelli editio huius libri, annotatio p. 2 ad „*ἐπιτάφιοι λόγοι.*“

Minus pueriles, etiamsi sine ulla gravitate, sunt orationes ab Aristide sophista in Eteoneum (or. XI) et Alexandrum Cotyaënsem (or. XII) conscriptae[1]). Illa *εἰς Ἐτεωνέα ἐπικήδειος*, haec *Ἐπὶ Ἀλεξάνδρῳ ἐπιτάφιος* inscripta est. Epicedium ad exemplum eorum epitaphiorum, qui „pendent ex publico aliquo officio[2]),“ compositum esse cognoscitur e verbis Prooemii: *ἡ ἐπίδειξις ἀναγκαία τῆς πόλεως ἕνεκα*“ et Epilogi: *τάδε σοι τὰ παρ᾽ ἡμῶν, τὰ δὲ λοιπὰ μελήσει τῇ πόλει κοινῇ.* Quia oratio de adolescente praematura morte modo defuncto scripta est, cum ceteras epitaphii partes tum maxime Lamentationem habet et ita instituta est, ut querelae calamitate excitatae (75) Laudatione, quae est de usitatis locis (76—77), alantur (78), Consolatione[3]) autem (79) tollantur. Cur epicedium Eteonei scriptum sit, legitur in Prooemio (vs. 1—3) brevi, Epilogus denique continet exclamationes auctoris virtutes mortui laudantis et Adhortationem civium, ut propinquis in colendo defuncto adsint (80).

Ab epicedio diversus, etsi honoris hominis paulo ante defuncti causa compositus, est epitaphius in Alexandrum, auctoris magistrum, scriptus. Illud enim de adolescente scriptum est, hic de sene; illic propinqui quoque respiciuntur, hic oratio convertitur ad cives. Itaque in epitaphio minus lugetur (87 p. 145) quam laudatur (81—87 p. 135—145). Quod mortuus erat homo doctus, necesse est sermo imprimis sit de doctrina eius, praeter quam mores quoque boni et beneficia ab eo in amicos et patriam collata laudantur. Eadem de causa, qua Lamentatio, Consolatio quoque paucis absolvitur; quis enim eos, qui non lugent, erigere studeat? Orator igitur satis habet felicitatem vivi et beatitudinem mortui illustravisse. Adhortatio autem civium, ut virtutem mortui imitentur, in oratione ad magistratum Cotyaicum missa inepta esset; itaque auctor epitaphii in Epilogo (90), postquam merita magistri in se collata enumeravit, hoc tantum cives

1) Epitaphii memorantur ap. Menandrum *Περὶ ἐπιδ.* c. XII. §. 1.
2) Quintil. lib. 3 c. 7, 2 (H.).
3) De solatiis in epicedio allatis vid. pag. 36 huius scripti.

admonet, ut Alexandri optime de iis quoque ipsis meriti propinquis consulant et mortuum honore afficiant.

Oratio plane lugubris est Himerii monodia in filium Rufinum (or. XXIII), quae scripta esse fingitur a patre, qui absens (§. 9) Athenis de morte praematura filii certior factus maerorem suum litteris mandat. Quae cum ita sint, auctor modo dolorem effundit (§. 1—3) vel suam ipsius vel defuncti sortem deplorans vel Fortunam crudelitatis incusans, modo materiam querimoniae repetit e laude mortui: „*Τί δὲ θρηνήσω;*“ inquit, „*τί δὲ ἐπαινέσω;*“ Atque per totam Lamentationem dominatur sententia: Quam laeta omnia olim! Quam tristia nunc! Exstinctae sunt egregiae eius virtutes (§. 4-6), deleta est corporis formositas (§. 7). Vitae bonis privatus heu miserrimus descendit ad inferos (8—9). Quanto erat amore erga parentes (10), quanta pietate erga deos (11)! Quot aliae virtutes eum ornabant (12—13)! Sed omnia perierunt, et quocunque me converto, unusquisque locus tristem recordationem filii erepti in me excitat (14 sqq.). In tanto luctu pater postremo spe beatitudinis filii se erigit et de honoribus mortui cogitat (23).

Qua ratione epitaphii de principibus multo ante defunctis componantur, vidimus in Euagora Isocratis; quales autem sint orationes de viris illustribus paulo ante mortuis scriptae, cognoscimus in monodia a Libanio sophista in Julianum composita. In oratione non minus, quam Caesarem ipsum in bello occisum, patriam deplorari, quae custode fidissimo et fortissimo orbata in manus pessimorum hominum neque ius neque fas reverentium data sit, facile intellegitur.

Postquam in monodia recenti dolori de morte imperatoris querelis large effusis satisfecit, Libanius in altera oratione *Ἐπιτάφιος ἐπὶ Ἰουλιανῷ* inscripta (or. XVIII), quod sibi non contigerit, ut vivi victorias celebraret (Prooemium), vitam describit Caesaris mortui. In hac oratione amplissima nulla pars epitaphii desideratur, neque Prooemium (p. 521—524, 4), neque Laudatio (524, 4 — 616, 12), neque Lamentatio (616, 12—622, 7), neque Consolatio (622,

7 — 625, 21) neque denique Epilogus (625, 21 — usq. ad finem).

Quoniam supra epitaphios cognovimus, quibus filii a patribus laudantur, restat ut orationem afferamus, qua pater mortuus a filio ornatur. Talis est Themistii oratio XX. In hoc epitaphio exspectamus Lamentationem, quod orator est filius mortui, in eadem Consolationem, quia filius est philosophus. Sed illud caput prorsus abest, in hoc praeter verba de beatitudine defuncti (p. 234. 240) nulla solatia inveniuntur; neque id sine causa. Nam luctus philosopho est indignus, id quod orator ipse dicit (in Prooemio p. 233 D); rationes autem consolandi non decent filium. Ergo in oratione Laudationi tantum et Adhortationi locus est datus. Laudans autem filius de generis nobilitate, licet patri non desit, dicere non debet, quia id modestia non patitur; de educatione patris filium non loqui facile intellegitur; formositatem in sene laudare non postet; res denique gestae a philosophis alienae esse solent. Quae cum ita sint, nullae res oratori laudandae reliquae sunt, nisi mores, quorum integritas memoratur (p. 234 C), et studia. De studiis autem multus orator est. Ostenditur enim defunctum omni tempore, quo non relaxationis et oblectationis causa agriculturae studiosus fuerit (p. 236. 237), cum aliorum scriptorum tum philosophorum interpretationi operam dedisse (p. 235. 236) et ipsum fuisse hominem vere philosophum, cuius vita cum praeceptis convenerit (238—240 A. B.) . Quibus in patre laudatis venit orator ad Adhortationem, in qua virtutes patris nemini aptius imitandas commendat, quam sibimet ipsi (p. 240 C. D.).

Praeter has declamationes servatas eiusmodi orationes ab aliis quoque sophistis scriptae esse dicuntur (Vid. Westerm. Quaestt. Dem. part. II, cap. II p. 46 sqq.), quas, quod aut perierunt aut media demum aetate confectae sunt, omitto. —

Haec de epitaphiis Graecorum. — Hoc unum mihi, priusquam dissertationi finem imponam, iis, quae dixi, in universum addere liceat, cum orationibus funebribus Atheniensium non confundendas esse Laudationes Romanorum.

Nam Romani neque funera communia militum in bellis caesorum neque epitaphios in laudem eorum habebant; atque hoc minime mirum est. Eiusmodi enim honores nullum imperium pati, nisi populare, ubi omnes cives sunt pares, supra vidimus. Romani vero ab optimatibus regebantur. Accedit, quod epitaphius, qualis apud Athenienses erat, in numero orationum demonstrativarum est; tales autem orationes abhorrebant a natura Romanorum, utpote qui a verborum ornamentis alieni brevitatem ieiunam et nudam sequerentur neque omnino tanto studio dicendi, quanto Graeci essent. Deinde iis temporibus, quibus institutum id genus oriri poterat, viri ad dicendum idonei deerant, quod eloquentia in incunabulis erat. Denique apud populum natura Martis studiosissimum illa arte fortitudinem in animis excitandi non opus erat. Laudationes igitur Romanae omnes in singulorum honorem habebantur et multum differebant a Graecis, id quod iam Cicero docuit, cum (De orat. II. 84, 341) dixit: „Graeci magis legendi et delectationis aut hominis alicuius ornandi quam utilitatis huius forensis causa laudationes scriptitaverunt, . . . nostrae laudationes, quibus in foro utimur, aut testimonii brevitatem habent nudam atque inornatam aut scribuntur ad funebrem contionem, quae ad orationis laudem minime accommodata est.“